HENRICI NOZZI

E S. I.

CARMINA SELECTA

ROMAE
TYPIS BERNARDI MORINI
AN. M. DCCC. LXIII.

IOSEPHVS MELANDRIVS

E SOC. IESV

LECTORI BENEVOLO

Quot quantaque pariat emolumenta lectio optimorum librorum, non est cur ego multus prosequar. Neminem quippe esse censeo, qui vel Ciceronis verba (De Or. II. 14.) *probe non teneat: « ut, quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob caussam ambulem, fit natura tamen, ut colorer: sic, quum istos libros... studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari »; vel experientia sua ratum exploratumque non habeat illud Quintiliani* (Instit. X. 1.)*: « Omnium, quaecumque docemus, exempla potentiora esse etiam ipsis, quae traduntur, artibus » sive praeceptis quibus artes continentur. Quare non vanam et fructu vacuam sibi operam sumere putandi sunt, qui legenda et pervolutanda proponunt, si quae scripta superant vel prorsa vel vorsa oratione a nostratibus, qui praeclaros illos antiquitatis magistros egregie referant et secundum illos non immerito optimorum scriptorum nomen sibi vindicent. Atque haec est ratio quae me impulit, ut publicis typis vulgarem quae studiose colligere potui ex variis carminibus P. Henrici Nozzii e*

Societate Iesu, *vita functi sex abhinc annos. Nisi enim totus fallor*, *ea quamproxime accedunt ad nitidam illam venustatem quam in aureae aetatis scriptoribus suspicimus; atque legentibus sanam affundunt iucunditatem*, *quam poesis illa horatiana quae* decies repetita placebit (Ad Pis. 365.). *Quare commodo in primis adolescentium*, *quibus hoc mei quidquid id est laboris in hoc libello evulgando impensum volo*, *me probe spero facturum satis.*

Inolevit enim opinio, qua ratione et quorum hominum opera mitto quaerere, vel linguam latinam intimis animi sensibus exprimendis imparem esse et iniquam homini italo; vel nunc aliam omnino in versibus conscribendis ab eo tenendam esse rationem, *qui cupiat aetatis suae hominibus probari, non eam quam veteres graeci latini atque itali sunt persecuti: quam isti adamarunt poesim, suavi motu atque eleganti oratione animos allicientem, putidam et vanam esse: contemnendos nimirum huiusmodi versus inopes rerum nugasque canoras: nunc magno ore sonandum: nunc mentes graviter concutiendas: nunc, omisso de pura et nitida elocutione studio, sententias magniloquas exquiri,* φαντασίας *celeres et exleges motus in pretio haberi. Hinc multos videas qui versus factitent quibusdam*, *non inficiabor, sententiarum luminibus vel potius fulgoribus coruscantes. Verum ab his et lucidus ordo*, *et series iuncturaque rerum quam natura postulat, et ornatus conveniens*, *et illud*, *quo ut in vita sic in*

oratione nihil est difficilius, decorum penitus abest. Si quis illos paullo diligentius excutiat, deprehendet scilicet esse « velut aegri somnia cuius vanae finguntur species, ut nec pes nec caput uni reddatur formae »; aut imaginem referre illius monstri, « cuius undique collatis membris variae sunt inductae plumae » (Ad Pis. init.). *Attamen quod illis insint ampullae et verba sesquipedalia et facundia praeceps, a graeculis nostris plurimum efferuntur; atque huiusmodi versuum artifices, quamvis operis summa infelices nesciant ponere totum, tamen quia particulam aliquam non inepte confingunt et pannos assuunt qui late splendeant, multis extolluntur laudibus et tanquam novi celebrantur magistri, quibus cum nemo audeat comparare antiquos poeseos scriptores, deferendos scilicet « in vicum vendentem thus et odores et piper et quidquid chartis amicitur ineptis »* (Horat. II. Ep. I. 269.). *Quid ni? frigidiusculi sunt enim, vulgares, nec oestro satis ipsi perciti audientium animos sacro furore minime percellunt abripiuntque. Nimirum novorum hoc vulgus magistrorum vellet in poeticis operibus verba, fictiones, cogitata, sensus, omnia naturae modum excedere. Ut enim, qui morbo aliquo aut sensus stupore suavitatem cibi quantumlibet optimi non sentiunt, acriora poscunt condimenta quae fastidientem pervellant stomachum; dum haec magis et magis interea subtile exsurdant palatum, ut fervida solum atque acuta gustatu et mordacia percipiat ac laudet: sic, qui animi vitio*

aut iudicii pravitate gustum pulcri non habent in re litteraria; aut, si quem habuerunt, iniqua hebetarunt consuetudine, contemnunt quidquid sanum et rectum est, probant vero quidquid aut portentosa quadam pulcri specie fucatum est, aut prodigialiter varium atque absurdum. Hinc quae sunt insolentia, ampullata, audacia, peregrina, putantur granditatem et mirabilitatem orationi adferre: hinc grandia illa nomina, epitheta magniloqua, translationes mire frequentatae et longius arcessitae, sonus ipse verborum fragosi torrentis instar perstrepens. At enim gravius commoventur homines nova hac et insolita dicendi ratione. Nempe sicuti illos percellit aut tonitru de repente factum, aut inter atras nebulas subita coruscatio fulguris, aut praeceps aquarum reboantium lapsus: verum vix ille stetit aeris mugitus, vix illa cessit fulguratio, vix ille evanuit undarum impetus, nulla haeret in animo solida voluptas, sed molesta quaedam agitatio et fastidium subit. « Quae enim, sapienter monuit Tullius (De Or. III. 25.), *maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienamur ». Quod cum probe intelligerent sapientes illi antiquae aetatis magistri, sic orationem suam vel in poesi temperarunt, ut sententiis gravibus sed non granditatem affectantibus mentes tenerent, ingeniosis fictionibus sed non portentosis atque inconditis imaginandi vim percellerent, suavibus motibus animos pertentarent,*

sed non bacchantium in morem exagitarent atque in furorem verterent: et genus dicendi elegerunt, quod non solum delectaret sed etiam sine satietate delectaret: naturam imitantes sollerti artificio, quae pulcritudine et suavitate sua animos oblectat atque in admirationem rapit, sed omnia sic provide moderatur, ut varietate et rerum convenientia nimietatem et fastidium caveat.

Verum alii sunt qui omnem curam studiose adhibendam censent in sententiis propriis et gravibus inveniendis disponendisque, inanem autem et puerilem esse dictitant in verbis elegantibus ac venustis usurpandis sollicitudinem: et dum inflatis buccis crepant, sententias esse poeseos lumina, diligentem orationis ornatum negligunt atque indignantur. Nae istiusmodi homines videntur ignorare, « omnem ex re atque verbis constare orationem, neque verba sedem habere posse, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba removeris » (De Or. III. 6.)*: et, quemadmodum « verborum ornatus inveniri non potest non partis expressisque sententiis, sic neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum »* (Ibid.). *Gravis enim et illustris oratio quid est aliud, nisi rei gravitas et nobilitas apte verbis congruenterque declarata? Quin etiam illud utique in aperto est, sententiam quantumvis nobilem et illustrem, si verbis vulgaribus et humilibus illam quis efferat, magna et gravitatis et suavitatis vi exspoliari: contra vero novum quoddam et admi-*

randum verbis probe selectis et concinne dispositis affundi decus et ornamentum sententiis neque novis neque admirandis. Prope ut si vestem elegantem et bene compositam corpori non usquequaque formoso circumponas, illud augebis specie quae videntes facile alliciat: si vero corpus quantumlibet venustissimum inhabili atque sordido tegas amictu, proprium atque insitum illi decus turpiter minues. Quare omne punctum tulisse scriptor ille dicendus est, qui sententias rei consentaneas, modo graves, modo suaves, verbis enuntiet propriis, elegantibus, probatissimis apud optimos linguae qua quis utitur scriptores, atque orationem suam exornet castissima et nitidissima sermonis venustate. Atque huiusmodi sunt scriptores illi sive graeci sive latini atque etiam itali, quorum opera litteraria nulla unquam aetas non demirabitur, et quorum scribendi rationem iure merito classicam *compellamus: a qua profecto si quis recedat et aliam consectetur insolentem et peregrinam, in corruptum dicendi genus turpissime incidet.*

Ne porro iuvenibus fucum faciant libri corrupto hoc dicendi genere famosi, aut illos misere decipiant atque opprimant opiniones non modo vulgi verum etiam hominum leviter eruditorum; istae quidem sanis praeceptionibus convellendae et labefactandae, illi vero excutiendi sollicite sunt ab adolescentium manibus, atque alii sufficiendi qui tamquam optima exemplaria aetatum omnium testimonio probantur aut ab

iis haudquaquam abhorrent. Tales vero habendi omnino sunt auctores etiam nobis aequales, qui antiquorum quos classicos dicimus studiosi sunt atque imitatores, non quidem ut servum pecus, sed liberis vestigiis illorum ductum sequentes: in summa, qui probatissimum in oratione artificium scite aemulantur. Hos inter, si quid video, non vulgarem obtinet locum P. Henricus Nozzius, cuius selecta carmina hic tibi libellus dabit, lector benevole. Fuerunt illa ut plurimum conscripta ab ipso dum litteras humaniores doceret (sicuti fusius narrabitur in commentario de vita eius, quem subiicio), atque in gratiam adolescentium quos instituebat. Habes plurima latina, quaedam italica, varia cum argumento tum numero: atque inter latina drama ad stilum terentianum exactum. Si quis a me exquirat, quibusnam virtutibus niteant Henrici Nozzii opera atque ita ut illa invulganda censuerim, illud in universum dicam, ea ad normam classicorum in re litteraria scriptorum esse conficta, et, quas in istis virtutes suspicimus, in illis non desiderari. Id vero quo se commendant ut maxime, est sententiarum delectus exquisitus et rei cum primis consentaneus; ita tamen ut non illas studiosius aucupari scriptorem videas aut etiam diligentius credas conquirere, sed veluti ultro sese offerentes excipere: tum ordo perspicuus, et series iuncturaque rerum ea, qua reddantur accuratissime uni formae quae varia in eodem carmine poeta fingit: praeterea vis quaedam iucundissima in

motibus animi penitioribus suaviter ciendis: incorrupta demum elocutionis concinnitas atque elegantia, ut verba sive simplicia sive coniuncta atque optime sint lecta atque cum ad linguae tum ad poeseos ingenium aptissima. Erunt alii, non difficilis dabo, in suis carminibus aut grandiores sententiis et nervosiores, aut imaginandi vi fervidiores, aut in vehementibus concitandis motibus potentiores, aut eruditionis poeticae copia et varietate audaciores. Verum in Henrici nostri poesi praestat sententiarum nativus quidam candor, lenis quaedam suavitas, atque inaffectata illa stili simplicitas, qua fit ut carmina ex illius ingenio nullo prorsus labore effluxisse videantur, et qui legit «sibi quivis speret idem, sudet multum frustraque laboret ausus idem» (Ad Pis. 240.). *Illi, laudandi certe si modo specie recti non decipiantur, maiorem parient admirationem: iste, et qui similes sunt, maiorem, ut opinor, oblectationem. Eiusmodi porro virtutes cum plurimum valeant contra illam aut tumidam aut inornatam orationem, quam superius notavimus in scriptoribus bene multis iniuria celebratis, opportunissima sane reddunt Henrici carmina et digna quae in manus adolescentium veniant. Ad haec latino sermone sunt pleraque scripta et eo quidem purissimo et facillimo, etsi in rebus paullo difficilioribus et in ipsis animi affectibus expromendis versetur oratio: adeo ut probent apertissime, etiam ab homine italo posse magna cum laude usurpari linguam latinam; nec esse profecto, cur no-*

velli isti magistri tantopere contra ipsam deblaterent, et fucatis omnino rationibus illam velint a scriptoribus nostrae aetatis penitus abolitam, et pretiosam quam a maioribus hereditatem accepimus Italiae litteratae invidere. Sed enim bellum quod linguae latinae (atque adeo probatae antiquorum scriptorum rationi) indicitur acerrimum, alias et iniquiores habet caussas, quas persequi nunc temporis minime vacat. Neque vero in auctore nostro quid deprehendes, quod a moribus atque ingenio nostrae aetatis et religionis abhorreat. Non enim is ego sum, qui velim praeposterum linguae latinae usum, aut servilem classicorum scriptorum imitationem: quasi animum nos atque ingenium et mores induere debeamus eorum, qui alia omnino aetate vixerunt atque aliis institutis, et (quod caput est) non in sanctissima Iesu Christi religione sed in foedissima vanorum numinum superstitione (uti graeci et latini scriptores) alti atque educati fuerunt. Quum ipsorum commendo scripta, artificium orationis texendae commendo, non quae nostris temporibus quivis bene cordatus respueret. Nec aliter sentiebat ipse Henricus, quo doctore sum usus duos et amplius annos, neque aliter instituebat alumnos suos. Quae autem disciplina sua ille tradebat atque inculcabat, mire in suis scriptis expressit omnia. Denique argumenta ipsa quae ille pertractavit, me cummaxime permoverunt ut ipsius ederem carmina. Sunt enim eiusmodi, quae dum poeticam excitant facultatem, pe-

ctus etiam optimis opinionibus et sanctis imbuunt moribus.

Quod spectat ad ordinem, quo in hisce paginis carmina proposui, scias illa me in tres veluti partes dispertitum esse: quarum prima continet latino sermone conscripta: secunda exhibet drama item latinum: tertia vero complectitur quae italice fuerunt exarata: in singulorum autem dispositione videbis me numeri primum, deinde vero argumenti ipsius rationem habuisse. Hoc vero libello in rem tuam diligenter utere, lector benevole, vos in primis studiosi adolescentes, quibus illum do dicoque libens. Atque dum perspicietis P. Henricum Nozzium e Soc. Iesu unum ex illis esse, quos Italia parens atque altrix studiorum eduxit ad gloriam optimarum artium, ipsius carminibus et vestra fovete ingenia ad optimam scribendi rationem, et vestros animos ad virtutem christiano iuvene dignam sedulo informate.

Romae in Collegio Romano S. I.
XVIII. Cal. Sept. A. M. DCCC. LXIII.
F. Mariae Sanctae sideribus receptae
et Stanislao Kostkae.

DE VITA P. HENRICI NOZZI S. I.

COMMENTARIVS

Brevem hunc de vita P. Henrici Nozzii e Soc. Iesu commentarium perscribere instituens, cum mei officio animi satis facio, tum votis multorum qui vel mecum eius disciplina fuerunt ad humaniores litteras eruditi, vel eius amicitia et consuetudine usi sunt familiariter. Eius enim in politioribus litteris facultas eximia et vitae ad virtutis normam exactae sanctimonia postulant, ne ingrato quodam silentio prematur illius memoria. Neque meum hunc laborem bonae cuiusdam frugis confido inanem fore: siquidem aliqua in rem suam mutuari poterunt, qui litteris aut ediscendis aut docendis operam impendunt. Quod vero discipulus de magistro mihi carissimo scribam, fidem haud imminuet, spero, orationi meae: ita enim officio obsequar ut veritati simplici narratione sanctissime consultum velim.

Natus est Henricus Nozzius pridie cal.dec. an. MDCCCVIII Urbiventi, quod est oppidum olim Etruriae nunc pontificiae ditionis ad lacum volsiniensem, perantiquum et nobilissimum in fastis romani pontificatus. Patrem habuit Augustinum domo Cascia, civitate Urbivento, honestissimum mercatorem lintearium; matrem Nazarenam Ierminiam antiquae probitatis feminam. A quibus, ut erant prolis ad virtutem informandae apprime studiosi, liberaliter et pie educatus pueritiam innocens transegit, et illorum amorem, quo ipse natu primus fruebatur suavissimo, in dies maiorem demereri visus est. Mox ut politioribus litteris ingenium quod, iam prodebat acre et ad omnem humanitatem factum, excoleret, fre-

quentare coepit scholas Patrum Soc. Iesu, qui iam ab an. MDCCCXIV collegium Urbiventi habebant florens et magnae in civitatem utilitatis. Inter discipulos adlectus, praeclaro ingenio magnam adiungens sedulitatem, facile inter aequales princeps extitit: atque in rhetorica facultate ac latini praesertim sermonis usu eos progressus fecit, ut admirationem sui concitaverit non levem, et iam tum portenderet quam bonos atque uberes fructus florens adhuc iuvenis olim esset laturus.

Inter haec animum adolescentis subiit cogitatio salutaris, quanam tandem ratione vellet deinceps totam vitam suam componere. Et cum iam fastidium illi cieret terrenarum rerum vanitas, caelestium vero non fucata illum attraheret veritas, statuit Deo divinaeque gloriae se totum mancipare, et Iesu Societatem ingredi quo id facilius exsequeretur. Quod consilium quamvis a Deo immissum agnosceret optimus adolescens, tamen iam vir factus pio quodam et grato animi sensu fatebatur, se ut illud libentissime amplecteretur permotum vehementer fuisse virtute Patrum in quorum disciplinam erat traditus, cum primis vero mira quadam morum suavitate atque amante diligentia in adolescentulis ad pietatem et bonas artes instituendis. Adeo verum est, in magistrorum virtute et moribus plurimum inesse momenti ad iuveniles animos cum Deo coniungendos: nec nisi inconsulto illos facere, qui solliciti apprime sunt de institutoris ingenio et facultate, incurii vero degunt de ipsius probitate.

Facto periculo et difficultatibus quae moram iniiciebant devictis, magnanimus adolescens in Iesu Societatem cooptatus est an. MDCCCXXIII calendis novembribus, cum nondum explevisset annum quartum et decimum suae aetatis. Tirocinium posuit sub optimo magistro P. Petro Rossinio (1), ac solidae

virtutis fundamenta iecit. Et cum fervidiore esset ingenio atque ad iram proniore, in id studium contendit suum (et memini id me ex eius ore saepe excepisse), ut illud cohiberet atque intra virtutis limites adductis habenis contineret. Quamvis autem strenue reliquo deinde vitae spatio in id laboraverit, sibimet tamen non raro displicebat nec aliis semper usquequaque se probatum habebat. Coepit etiam in tirocinio impensissime colere sanctissimum adolescentem Stanislaum Kostkam: et suum studium religiose fovebat quod viveret novitius Societatis Iesu in eadem ipsa domo, in qua et ille suum tirocinium incoepit atque absolvit morte beatissima; quod cellam frequens viseret illam in qua morientem excepit Sanctissima Virgo; quod procideret supplex ad aram sub qua immaculatum illius corpus quiescit. Pium autem hunc erga sanctum Stanislaum amorem custodivit et auxit in dies quoad vitam egit, atque in aliorum animis studiose semper incendit.

Exacto tirocinio ad humaniorum litterarum studium, ut est in more apud nos, progressus doctorem nactus est clarissimum et de re litteraria optime meritum. Is fuit P. Iosephus Petruccius: qui cum, extincta iam Societate nostra, triginta ipsos annos in Collegio Romano humaniores litteras docuisset; postquam Dei providentia atque semper recolendo Pii VII P. M. beneficio in integrum Societas fuit restituta, delectus est qui iuniores nostros, antequam philosophiae curriculum ingrederentur, politioribus disciplinis excoleret. Idoneus autem erat quam qui maxime, quippe qui et ingenio et doctrina et diutini magisterii usu valeret plurimum: sed eo potissimum quod cum pene puer Societati nomen dedisset, atque in hisce litteris praeceptorem habuerit P. Aloisium Lan-

sium, cuius ipsum nomen laus est eximia, veterem atque hominibus nostrae Societatis longo experimento probatissimam acceperat docendi rationem. Hanc autem sancte persecutus est Petruccius, et eam tradidit novellis alumnis in spem Societatis succrescentibus. Tali enimvero doctore cum uteretur Henricus noster plurimum laetitiae cepit, illique docilem se totum commisit, atque ab eius disciplina egregius et ipse evasit politiorum litterarum cultor atque institutor. Nondum autem ad exitum annus devenerat, cum P. Petruccius morte interceptus est (2): cuius desiderium Henricus tulit acerbissime, atque eius memoriam tamquam optimi patris religiose colens, quae documenta ab ipso hauserat sive ad rem litterariam sive ad christianam virtutem promovendam, sedulo derivavit in sui et in aliorum utilitatem.

Tribus deinde annis vertentibus operam dedit philosophiae in Collegio Romano, et fructum collegit qualem spondebat eius acre et sollers ingenium. Sub finem anni MDCCCXXIX rhetoricam facultatem docturus missus est Augustam Taurinorum. Cum vix unum supra vicesimum numeraret annum, Henricus magisterium auspicatus est in urbe nobilissima litteratorum hominum frequentia illustri, atque in ephebeo, quod Augustae tunc temporis regebat Societas nostra, iuventuti familiarum totius regni sabaudici principum instituendae: expectationi tamen, quam sustinebat ingentem, fecit novus magister satis cumulatissime. Illud autem suae disciplinae propositum habebat, ut ad germanam et sinceram pulcri normam adolescentes institueret: veteris sapientiae fontes purissimos illis aperiret, non istos novellos, quos oderat, aut coenosos aut fucatos: accuratissime linguarum latinae imprimis atque italicae nitorem atque elegantiam

omnem illos edoceret. Hinc nonnisi cultissimos utriusque sermonis scriptores ut ipse unice adamabat, sic discipulis diu noctuque pervolutandos tradebat: antiquos maxime probabat, et ex recentioribus paucissimos quorum stilus a priscis illis non abhorreret: ceteros omnes, eos praesertim qui peregrinitatem saperent aut effraenem in rebus et verbis consectarentur insolentiam, et fugiebat ipse et ab adolescentium manibus excutiendos omni quo poterat studio accurabat. Ita vero dum in rem discipulorum sapienter consuluit, in admirationem sui cives pertraxit non exiguam. Hanc porro auxit publicatis poeticis experimentis, quorum materiem non vanam aut fructus expertem delegit, sed eam quae et poeticam excitaret atque aleret facultatem, et vitae documenta proponeret quibus adolescentes se praeclaros cives et christianos probarent optimos. Nunc enim (ut alia praeteream), quae in regione pedemontana celebriores sunt religionis erga, Deiparae sanctae aedes et cellas versibus exornavit: nunc fructus et opera artis atque ingenii, primum in regia arce valentina visentibus commendationis caussa publice proposita, cecinit: nunc praeclara collaudavit Caroli Felicis regis nuper defuncti gesta, et Carolum Albertum regnum capessentem prosecutus est bonis ominibus

Duos annos Augustae Taurinorum rhetorem egit Henricus (3). Diutius utique magisterium continuasset, quod amor atque utilitas discipulorum et civium vota postulabant. Verum provincia romana nostrae Societatis, quae per id temporis ad universam pontificiam ditionem atque ad ipsas pedemontani regni et mutinensis principatus se se porrigebat urbes, aucto in dies Sociorum numero, in duas fuit distracta, utrique suae gentis hominibus attri-

butis. Quare Romam ille accitus est, atque Romano Collegio datus humaniorum litterarum doctor: quo in munere se praestitit non dissimilem sui. Porro sub exitum anni MDCCCXXXIII Ferrariam est missus ut rhetoricam rursus profiteretur: quod ea fecit totius civitatis commendatione, ut viginti et quatuor post annis, quum ipse rhetoris munere in eodem fungerer Collegio Ferrariensi, Henrici Nozzii tamquam optimi praeceptoris famam adhuc lactam et florentem deprehenderim, multaque praeclara de ipso audiverim ex viris bene multis, qui urbem illam humanitate et sapientia sua exornant plurimum. Annum magisterii sui clausit productis de more in poeticam palaestram discipulis, qui elegantibus carminibus recitatis ferrarienses magni nominis episcopos pro merito extollerent. Quod consilium civitas universa summopere probavit.

Post haec quum nonnihil sanguinis ex ore eiecisset, defunctum docendi munere ipsum Ferrariae consistere moderatores nostri iusserunt, quod illius caeli temperies levamento esse soleat vitio pectoris laborantibus. Sed cum per annum (quo theologicas disciplinas privatim delibavit) moratus ibi esset atque iam haberet melius, Romam advenit, ubi solido quadriennio theologiae cursum confecit et sacerdotio rite est initiatus. Demum ineunte novembre an. MDCCCXXXIX iunioribus nostris ab expleto tirocinio humaniores litteras edocendis magister constitutus est. Atque inter docendum tertiae quam nos dicimus probationis experimentis de more datis, sollemnia professorum vota emisit IV non. febr. an. MDCCCXLII.

Munus porro sibi commissum alacri promptoque animo suscepit Henricus: eo siquidem multum se Dei gloriam,

quod cum maxime excupiebat, sperabat promoturum. Quum enim privato illo magisterio nostri iuvenes. instituantur, qui debent olim aut politiores et ipsi litteras vel graviores profiteri scientiarum facultates; aut pro sacrorum concionatorum munere verba ad populum facere; aut quae demum cumque alia Societatis nostrae obire ministeria; quae omnia nisi litteris probe excultus vix aliquis conficere queat: nimirum actum ille secum praeclare putabat qui illos instrueret disciplinis iis, quibus pro varia munerum ratione Dei gloriam procurare maiori cum fructu possent. Accedebat quod veterem atque Instituti nostri propriam docendi rationem, tamquam pretiosum thesaurum sibi ab optimo magistro Petruccio concreditum et sancte a se custoditum, in novorum manus discipulorum traderet et religiose propagaret. Atque in tanta quae nostram aetatem incessit lubido omnia susque deque vertendi, atque ipsam rem litterariam innovandi ac perturbandi; adeo ut bellum inferatur contra quidquid venerandam sapit antiquitatem; quidquid vero novum est, insolens, peregrinum, in pretio habeatur et tamquam sapientia e caelo delapsa suspiciatur; videbat se posse bonis artibus optime prospicere, si a litteratis Societatis hominibus illam malae novitatis licentiam propulsaret, atque aliqua ingruens malum medicina anteverteret. In hoc vero semper adnisus est omni quo potuit studio atque opera pertinaci. Et illud magnum erat momentum ad Henrici in novo munere alacritatem, quod in ipsa tirocinii domo ad S. Andreae commoraturus esset prope cellam sanctam atque castos cineres Stanislai Kostkae: ibi siquidem melius sibi liceret suo eius colendi studio obsecundare, et caelestis patroni amorem atque opem sibi et discipulis facilius demereri.

Sui magisterii normam sibi Nozzius delegit, quam Instituti nostri (cuius erat observantissimus) leges suppeditant. Et quum sit per illas constitutum, ut scholastici nostri humanioribus litteris instruantur; humaniorum vero litterarum nomine rhetoricam, poesim atque historiam esse intelligendas; et accurandum cumprimis, ut illi solidum in lingua latina iaciant fundamentum: in id omnes contendit vires ut illarum non elementa modo disciplinarum, sed quae penitiora sunt discipuli probe tenerent; et germanam latini sermonis indolem pernoscerent. Quae autem conferre utilitatem aliquam possunt ad facilius id assequendum et tutius, earum rerum omnium missam faciebat nullam. In hoc potissimum elaborabat, ut caput discipulorum *cuderet atque procuderet* (4): scilicet ut omnium quas docebat facultatum optimam quasi formam illorum animis imprimeret, et sanum pulcri gustum inderet, quo et pulcritudinis specie facile moverentur et de vera pulcritudine recte aestimarent. Homo autem ut erat qui iudicium intelligens ac teretes haberet aures et religiosas, ad exemplum id omnino est prosequutus. Tum plurimus erat in optimis scriptoribus maxime latinis, atque inter hos Cicerone et Virgilio, enarrandis. Ac diligentissime praeterea corrigebat et castigabat discipulorum lucubrationes, in quibus postulabat rem congruam et bene perpensam, ordinem lucidum atque rei aptissimum, et exquisitum orationis cultum. Scio sane ipsum tamquam nimium in hoc et paullo morosiorem quibusdam displicuisse: neque pernegaverim, talem quandoque videri potuisse. Sed illud saepissime accidit, quod, cum quis in aliquid studiose adlaborat, vix ac ne vix quidem ita sibi moderetur ut incenso non abripiatur studio (ignem enim cohibere quis semper valeat?): praesertim vero qui in

arte quapiam excellunt facile stomachantur, quum vel leviter contra artem ipsam peccatum quid animadvertunt. Sed ea in hoc ipso est utilitas ut iuvenes, cum se contentos et beatos non putent, ad maiorem perfectionem animum intendant, limae laborem adament, ingenium naturale artis ope diligentis expoliant atque emendent, et (quamvis interdum sibi calumnientur) opus tandem perfectum edant amica coniuratione et conspiratione utriusque facultatis. Illud certe mihi videor affirmare posse, Henrici Nozzii disciplinam iuvenibus bene litteratis informandis aptissimam fuisse. Vellem utique meae narrationi re ipsa auctoritatem facere; sed nemo aequus vitio doctoris vertet, si quem discipulum, qualem exoptabat, non effinxerit: multas enim caussas subesse posse quivis facile intelligit. At vero nemo inficias ibit, plurimos ex eius disciplina prodiisse optimo institutore non indignos.

Inter haec tum quod legibus nostris id saepius praescribitur, tum quod ad poeticae incrementum facultatis plurimum conducit, curabat ut (praeter consueta scholae pensa, et carmina statis temporibus (5) publice a scholasticis proponenda) poetica ederentur experimenta, quae graves et docti viri exciperent. Qua oblata opportunitate, dum iuveniles perpoliret versus, sive quod satis illos non probaret; sive quod duceretur ingenii atque artis facilitate; sive quod, veluti praemium longi et solliciti laboris (Quintilium enim horatianum accurate referens, bis terque immo quinquies et sexies iubebat male tornatos versus incudi reddere: et frustra negasses, melius te posse), optimum vellet exemplum proponere; ipse de integro excudebat atque novos omnino effictos reddebat discipulis. Argumenta vero eiusmodi pertractavit semper, quae novellis poetis iisdemque religiosis

iuvenibus apte sancteque convenirent. Modo enim Iesu Christi redivivi triumphum concelebravit, modo Deiparae sanctae virtutes et dignitatem amplissimam: nunc eius, optimae scilicet Matris, in nostros homines amorem et beneficia, nunc nostrae Societatis vices, nunc Ignatii patris legiferi gesta praeclara extulit: nunc etiam, ut animos oblectaret (comis quippe erat ac festivus, et iocos ac sales amabat, sed illos urbanos atque attico conditos lepore), aut venustos flores, aut laetitiae iucunditatem, aut ligneolos homullos qui nervis alienis mobiles ludicras agunt fabulas, tenuiori poeseos genere concinuit. Ad haec, pro sua erga Stanislaum Kostkam singulari pietate, an. MDCCCXLIV latinum drama terentiano stilo conscripsit, feriis autumnalibus in suburbano a discipulis ipsis agendum, cui nomen fecit *Stanislaus fugiens*, quod totum sit in explicanda nobili generosi adolescentis fuga e paterna domo ut in Iesu Societatem se reciperet. Elegans illud est omnino et suavissimum, ac Terentii virtutes, miram cum primis orationis venustatem et munditiem, concinne aemulatur. Odas porro medios actus intercinendas addidit et bene proposito haerentes, quaeque locum tenerent symphoniae quae solet, uti nunc fert consuetudo, actus ipsos distinguere (6). Ita sedulus magister omnem posuit industriam in suis excolendis discipulis.

Nec illud silens praeteream, quanta diligentia, dum nos litteris politioribus imbueret, ad religiosae virtutis studium simul nostros animos excitaret. Amorem erga Iesum Christum et Virginem sanctam Dei eamdemque hominum Matrem in nobis fovit studiosissime; atque auctor erat et suasor, ut omnia quaecumque ageremus unice spectarent Iesu et Mariae gloriam. Sanctum vitae genus, ad quod nos dedu-

xerat benignissimus Deus, et beatissimum praedicabat et sancte a nobis custodiendum affirmabat: in id porro nos acriter incendebat, modo historiarum nostrae Societatis lectionem commendans plurimum, modo patrum nostrorum virtutes et doctrinam laudibus efferens. Et quum non solum praeceptor sed etiam alter a Rectore domus moderator nobis esset, ut nostras leges accurate servaremus omnes, atque ad eam vivendi rationem quae Iesuitas decet nos ipsos informaremus, nulli pepercit operi: ipse vero exemplo praeibat suo. Tum omnia curabat, quae nostri essent commodi atque etiam solatii, paterna omnino sollicitudine: quae se prodebat in primis, si quis in morbum aliquem incidisset. Tunc enimvero et ipse *infirmabatur* (II. Cor. XI. 29.), et caritate, qua maiorem vix in matre expeteres, suos fovebat aegrotos.

Ut autem coeperat, sic porro Henricus perrexit et docere et regere iuniores nostros novem plus minus annis, quibus illam tenuit provinciam, etsi (quod sane dolendum) non continuis. Etenim ab exeunte annó MDCCCXLV, cum vires docendi labore paullum debilitatas experiretur, annum aliquem quietis vel exoravit vel accepit oblatum, et socius datus est Moderatori provinciae romanae. Fuerunt sane qui multum id quererentur, cum ea esset indoles idque Henrici ingenium, ut multo maiori cum utilitate et aliorum satisfactione in scholasticis nostris edocendis operam positurus videretur. Spes tamen erat fore ut brevi rediret ad intermissum munus: verum placuit moderatoribus nostris, ut operam suam Praeposito provinciali commodare pergeret. Quod ille praestitit animo prompto (quod religiosi hominis erat officium), sed non facile lubente: sua enim litterarum studia amabat et diligebat ut cummaxime. Quum vero res

publica impiorum hominum opera et factionibus in Italia an. MDCCCXLVIII pessumdata omnis esset; et nostra Societas sedibus suis per iniuriam exturbata in alienas plagas cogeretur exsulare: delecta iuvenum nostrorum manus Tolosam in Gallias missa est, ut humaniorum litterarum studiis per otium et tranquillitatem operaretur, et praeceptorem habuit P. Henricum, qui scilicet ita visus est cum veteribus amicis, id est cum libris et studiis suis, in gratiam rediisse. At compositis rebus nostrisque hominibus Romam postliminio revocatis, medio anno MDCCCL in Italiam reversus politioribus studiis iterum nuncium remisit, ut non iucundum onus subiret atque adesset socius Praeposito provinciae. Quod cum praestitisset ad exitum anni MDCCCLV, antiquo inclusus ludo rursum ad S. Andreae scholasticorum edocendorum curam suscepit. Verum cum gravi morbo iam tentatus altero ante anno fuisset, nec ex integro forsitan recreatus rediisset ad operosum docendi munus, secundo anno labente aegrotare vehementer coepit, et coactus est scholam dimittere quam non amplius repeteret.

Ut diligentiori curaretur ministerio, deductus est in Collegium Romanum: et tentatum quidquid poterat, ut pristinam repararet valetudinem. Sed quum omnia in irritum caderent, ad experimentum aliquod atque ut eius votis fieret satis, Venetias missus est: videbatur enim illius caeli mitioris atque urbis ad mare adsitae ingenium aegroto prope conclamato remedium aliquod allaturum. Verum adeo Venetiis morbus invaluit, ut brevi in ultimum Henricus devenerit vitae discrimen. Quare valedicto curis omnibus reliquis, totum se divinae commisit voluntati, atque ad illud unice adiunxit animum, ut mortem pie sancteque oppeteret. Quan-

tam vero homine religioso dignam virtutem animo contineret, prodidit nimirum extremis illis vitae diebus: nihil nisi caelum spectare: tempus omne piis precationibus et colloquiis impendere: Iesum Christum ac divinam Matrem, et secundum hos beatum adolescentem Stanislaum Kostkam, amores suos compellare, atque ut illorum conspectu tandem frueretur exoptare. Quod ille, ut sperare licet, assecutus est placidissimo vitae exitu pr. non. aug. an. MDCCCLVII, annos natus plus minus novem et quadraginta.

Pauca haec scripsi de magistro mihi carissimo, atque de litterariis studiis in nostra provincia praeclare merito, ut aliqua exstaret hominis longiori vita et maiori fama digni memoria. Tu vero, optime Pater, quem caelo receptum firmissime credo, parvulum hunc laborem, quem tuae disciplinae et caritati debui, bonus adspicias oro, et quam adhibuisti virtutem et sollertiam in nobis iuvenibus instituendis, mihi facilis elargire: ut, quandoquidem et mihi nostros iuniores politioribus litteris excolendos adsignavit Dei providentia, ipsorum in litteris et virtutibus profectui sancte et religiose consulam.

A. M. D. G.

(1) Fuit P. Petrus Rossinius vir eximiae virtutis et sanctimoniae, et caelestis pene dixerim consilii ac dexteritatis in animis hominum moderandis atque ad religiosam perfectionem adducendis. Natus est Faventiae IV id. dec. an. MDCCLXXV: in Societatem ingressus XI cal. iun. an. MDCCCV, obiit pientissime XVII cal. apr. an. MDCCCXXXXIII.

(2) Ortus erat P. Iosephus Petruccius Interamnae X cal. apr. an. MDCCXLVII. In Societatem ingressus pr. cal. novembr. an. MDCCLXIII, atque iterum sollemnibus votis in eam a Pio VII iam restitutam cooptatus XII cal. febr. an. MDCCCXVI, pie et sancte decessit XII cal. mai. an. MDCCCXXVI.

(3) Altero quo Augustae commoratus est anno, socios habuit P. Antonium Brescianium qui minister domus (sic nos vocamus), et P. Carolum Grossium qui praefectus erat scholarum, homines eruditos oppido atque italicum sermonem in paucis doctos; quod et monumenta probant abunde in vulgus edita. Ex illorum autem consuetudine plurimum hausit Henricus iucunditatis atque emolumenti, nec unquam illos nisi gratissimo animi sensu recordabatur.

(4) Haec ipsissima ille saepe usurpabat verba petita ex oratione paraenetica tertia P. Iosephi Mariani Parthenii *De Ratione docendi et discendi*, quem plurimi faciebat.

(5) Exstat lex apud nos, qua scholastici iubentur vota primum a tirocinio exacto nuncupata bis anno vertente renovare, sub initium mensium ianuarii et iulii, atque ad diei celebritatem exornandam carminum aliquid condere et publico domus in loco affigere.

(6) De ratione carminum Henrici nostri iam dictum est in praefatione: quae si non semper granditate quadam sententiarum aut imaginandi vi praepotente, certe gratia et facilitate et exquisito sermonis nitore se commendant plurimum, atque ad castissimam illam accedunt rationem, quam soli cognoverunt et mire expresserunt aureae aetatis scriptores. Ceterum lector ipse per se iudicabit.

PARS PRIMA

CARMINA LATINA

HEXAMETRI

I

VATICINIVM MICHEAE
DE IESV SERVATORE BETHLEHEM NASCITVRO

O quae sublimi consurgis condita clivo,
Vrbs Bethlem parva, et parvis circumdata muris,
Nostro, siquid erit laudis, celebrabere versu.
Namque Palaestinae quot sunt in finibus urbes
Non ausint parili tecum contendere honore;
Quamvis ostentent turrito moenia saxo,
Et iactent summa eductas ad sidera moles;
Sive illas laeti lucus et amoena vireta,
Frugiferi aut colles et rura beata coronent.
Tu merito maiora potes iactare, quod orbis
Conditor atque idem summi Regnator olympi,
Mortale os habitumque humanum inducere passus
Vt genus eriperet stygiis mortale tenebris,
Te legit, Bethlem, multis e millibus unam,
Quam nascens vultuque suo adspectuque bearet.
Id non fallaci iessides omine Pastor
Saepe tibi cecinit, cum decurrentia propter
Flumina, seu palmae recubans frondentis ad umbram,
Aut teneras pascens per florea prata capellas,
Dulcia fatidicis iungebat carmina nervis:
« O patria urbs, salve, natali o candida, salve, [1]
Terra meo, patrii fines, salvete, lacusque

[1] Mich. II. 6.

Et nemora et montes et frondiferae convalles.
O qualem vobis fortunam fata reservant,
Cum nova Progenies demissa ex aethere, Virgo
Quam felix olim gremio est paritura pudico,
In vobis primum vitales hauriet auras,
Et sua non ullo ponet cunabula cultu.
Ergo eris, o Bethlem, magni tu conscia partus,
Laeta nimis tellus? Adeone ut cernere diam
Nascentis speciem Pueri, et suspiria possis
Audire anxiferis vagitibus intermixta?
Non hic insidians lupus erret ovilia circum,
Amplius haud vasto praedas leo raptet hiatu,
Sibila nec linguis serpens vibret ora trisulcis.
Quin ubi se spinis effert paliurus acutis,
Et qua dumus amat steriles horrere per agros,
Nascantur laetae segetes, et mollibus ultro
Haud ullo poscente solum florescat aristis.
Mulceat hic zephyrus natos sine semine flores,
Pomaque silvestri pendere incognita ramo
Miretur quercus, stillent et ab ilice mella.
O utinam vitae tum pars mihi sera maneret,
Quum decus adducent tantum tibi saecla, tuumque,
O Bethlem, cunctis clarescet nomen in oris! »
Tales Iessaeus fundebat pectore voces
Fatidico. Interea motabant culmina palmae,
Tum rupe adversa captatrix carminis echo,
« O Bethlem felix, » resonis iterabat in antris,
Et « Bethlem » viridi referebant flumine ripae.

II

FESTVM SANCTI NOMINIS IESV

Annua festivo redeunt sollemnia cultu, [1]
Queis diae summo delapsae ex aethere Proli
Nominis insignes merito gratamur honores.
Nunc o fronde nova sertisque recentibus halent
Templa et turicremis adolescant ignibus arae,
Ingens dum colimus Nomen; quod ubi insonat olim,
Insuetum fulgent stellantia limina divûm,
Terraque laetifico passim clamore resultat,
Impia et ingeminant aeternos tartara luctus.
Nulla salus alio praesens in Nomine. Gentes
Hoc cunctae populique vocant in vota precesque,
Terrarum oceanus quantum vastissimus ambit,
Igneus et sol e rutilo despectat olympo.
En eadem lux haec testis, qua dissita longe
Finibus extremo et resonantia littora ponto,
Ora omnis regioque et desertis insula saxis
Omine te nostri generis venerata secundo,
Iesu magne, ducem servatoremque salutat.
At nos praecipue tibi plaudimus, ardua quando
Loiolidum castra auspicio meliore secuti
Militiamque, tuo victricia Nomine signa

[1] Hoc carmen elucubratum fuit anno MDCCCXXXXVIIII, cum scholastici Soc. Iesu, quos P. Nozzius docebat Tolosae in Galliis, vota religiosa de more instaurarent: per totam vero Italiam ac Germaniam civilibus motibus respublica agitata, et nostra Societas esset undique eiecta.

Nil vestrae contra valuere obsistere vires.
Concidit et summa subito prostrata ruina
Arx romana; alias ductorem quaerere terras
Vidimus ignotum, errantemque, et tristia secum
Fata vicesque suae multum miserescere gentis.
Tune adeo, Iesu, per tot discrimina tandem
Tot fusos patiere tuos, quibus ensis in usum
Vix ullum et clypeus superest? patiere superbe
Insultantem hostem victis et nulla timentem
Posthac damna sibi? nec te tua gloria tanget?
O si nostra tuo ductu, si bella geruntur
Nominis invicti auspicio, dispersa refectis
Ordinibus redde atque instructis agmina signis.
Maior ab accepta veniet victoria clade.

III

NOMEN IESV TRIVMPHANS

Ergo adeo stygius regnare impune tyrannus
Perget ovans? illum imperia exercere superba,
Servitio dudum premere atque onerata pudendis
Atterere assidue populorum colla catenis?
Ausus dementi pacata lacessere bello
Sidera, quin etiam solio scelerata Tonantis
Arma inferre manu, supera deiectus ab arce
Immensam traxit cladem. At non excidit omnis
Scilicet ambiti quondam fiducia regni,

Si sua regnator domitum dat iura per orbem.
Iampridem attollens immani cornua fastu,
Arduus insultat caelo tumidusque minatur:
« Quae tandem in terris aequanda potentia nostrae
Restat adhuc? aut quis mecum concurrere certet?
Iure hominum rerumque Sator, quem noluit esse
Imperii socium magni, me sentiat hostem.
Non haec invalidum gestat male dextera sceptrum;
Ille quidem in vacuo sedeat dominator olympo,
Concutiat tonitru nubes, aut fulmine montes
Deiiciat summos (opis argumenta caducae);
Dum sua despiciat per cunctas numina gentes
Contemni, et squalere humiles cultoribus aras.
At nobis, qua terra patet, redduntur honores
Promeriti: surgunt auro flammantia templa,
Supplicis et turbae cumulata altaria donis,
Quae saepe humano placari sanguine gaudent.
Nobis cervicem olim demisere superbam
Assyrius Medusque et fortunatus ab armis
Invictis Macedo: culta aeque ac barbara tellus
Nunc dat tura libens, sacra et sollemnia reddit
Aegyptusque potens et doctis Graecia ludis.
Ipse triumphato rediit cum victor ab orbe,
Celsaque captiva scandit Capitolia pompa,
Exsuvias nobis condit Romanus opimas. »
Haec vomit insanis convicia turgida verbis
Tartareum monstrum: neque enim putat adfore quondam,
Iniiciat qui vincla suo insperata furori.
Attamen humanae gentis miserata labores
Adfuit e caelo Soboles, quae vertere cuncta

In melius possit, solioque exturbet iniquis
Praefidentem animis exsultantemque tyrannum.
Iam tibi supremum edico nil tale timenti
Instare exitium, miser. En Iesu ut ferit auras
Invictum Nomen cunctis et diditur oris,
Continuo tuà terreri, ignotaque repente
Vi compulsa modis torqueri numina miris,
Non audire preces, non reddere vota petenti.
Dant etiam sonitum, et laxis compagibus ultro
Ad terram prona volvuntur maxima clade
Templa, trahuntque gravi labentes pondere moles,
Infames aras et inania signa deorum.
Obruta nec stabunt iterum, sed carduus alte
In medio lapidum rarus consurget acervo,
Squameus et serpens tractus sinuabit inultos.
Sedibus interea ex illis se proripit amens
Impietas, turba scelerum comitata sequace,
Dilaniansque genas turbatosque ungue capillos
Respectat procul effusas tremefacta ruinas.
Ergo nil potis everso succurrere regno
Rex erebi, veluti correptus turbine caeco,
Fertur in abruptum, tellus ubi vasta dehiscit,
Atque lacus secum in nigros socia agmina ductat.
Illic in rapido flammarum vortice, et inter
Horrisonos luctus et perpetuos ululatus,
Securo vix esse licet: quin ille, ubi Iesu
Invisum insonuit Nomen, quatit atra catena
Membra gravi, et sese latebrosa condit abysso,
Qua caliganti densantur nocte tenebrae.

IV

FESTA NATALITIA IN PAGO

IDYLLIVM

BATTVS ET CLEODAMVS

B. Salve, mi Cleodame.
C. Et tu, dulcissime Batte,
Salve.
B. Nempe tuus nimium, Cleodame, renidet
Iste mihi cultus: nitida de pelle galerus;
Auratis belle scutulis distincta lacerna;
Fascia praecingit pectus; tum fibula mordet
Ad teretem suram curtas argentea braccas.
Hem comptus talos e summo vertice ad imos
Mî totus fulges.
C. Quid mirum, Batte? diebus
Rite decet festis festivus cultus.
B. At istos
Cui tandem gallos?
C. Vncto bene siccus: in annos
Quosque sibi merito nimirum munera poscit
Curio, divini Pueri sollemniter ortus
Et festas nobis luces referente decembri.
B. Tune adeo matutinus, cum lumine nondum
Exoriens fulgenti aurora fugaverit umbras?
C. Sic certe, siquidem Puero sollemnia pagus
Nascenti celebrat: domitum excussere sopore

Pulsata e turri festis tinnitibus aera,
Et tonitrus similes ignito pulvere bombi.
B. Ista quidem praeter morem: nam certe ego novi,
Luce hac in pago vix tintinnabula vestro
Audita, ut sacris adstarent rite coloni.
C. Vera isthaec narras: sed nulla denique pompa
Tam sanctos, o Batte, dies agitare pudebat.
Aedi igitur sacrae decus auctum; limina odora
Fronde halant, ornantque fores pendentia serta.
Verum, si credis, cultu meliore renidet
Interior paries: nam fulvae e fornice vittae
Demittunt sese, et lentum sinuantur in arcum.
Quid dicam, pulcro ornatu quam fulgeat ara,
Cerea ubi effigies recubantis molle Puelli
Visitur, et circum fax plurima luce coruscat?
B. Anne suo tantos sumptus curaverit aere
Curio non largus?
C. Nimirum symbola cuique
Collata est misero agricolae. Sollemne paratur
Quin etiam sacrum, nec tibia rustica deerit,
Quae nostrum odeo cantum comitetur ab alto.
Iam propero ne serus eam. Vin' tu quoque mecum
Ire?
B. Libens equidem vellem, Cleodame; sed urget
Me me sollicitum non parvi cura negotî,
Conficiam ut nummorum aliquid. Ratiuncula restat
Myrsoni mecum solvenda, et se fore dixit
Extremus cum certa daret sibi lucra december.
Hac si spe frauder, vacuus male sacculus aeris
Me coget festis ieiunia ferre diebus.

C. Mecum hodie prandere potes: nam lautior olla
Apposita est igni, summo flagrante camino,
Quam facilis credam satis esse utrisque.
B. Benigne:
Attamen et nati et coniux irata dolerent.
Ergo vale: dius te sospitet usque Puellus.
C. Ille etiam optatos tibi det corradere nummos.

V

DEIPARA VIRGO
IN VETERI FOEDERE PRAENVNCIATA

Magna Parens, summo rerum dilecta Parenti,
Quae, donis opibusque potens caelestibus, una
Humanae reparas antiqua opprobria gentis,
Vnde tuas repetam, fortunatissima, laudes,
Vltima quam memorant primaevi exordia mundi?
Credula tartarei mulier decepta draconis
Insidiis vetitum decerpserat arbore pomum
Audax, et sese miseram et genus omne suorum
Funere perdiderat. Felicibus exul abibat
Horti deliciis, lacrimasque haud nescia culpae
Fundebat, luctuque dolor comitabat euntem.
Vnum aegrae super illud erat solamen, in annos
Adfore, quae diri, non atro infecta veneno,
Ardua virgineo premeret pede colla colubri.
Hinc adeo dum gens hominum male perdita laetis

Prospectat venturam oculis, serumque morantis
Ortum saepe dolet, nova clarant signa Puellam.
Ecce ratis, vastas unam quam nare per undas
Conspicor armeniis tandem considere clivis
Incolumem, solam ostentat, quae criminis expers
Adnabit tumidum vitiorum intacta per aequor.
Quae sub nimbifero se flectens iris olympo
Testatur Numen posuisse micantia dextra
Fulmina et horrificas iras, illam omine signat
Fausto, quae nascens olim mortalibus aegris
Exoptatae aderit vicinae nuntia pacis.
Illum etiam quidnam tandem portendere dicam,
Qui flammas inter rubus ingentesque sonores,
Mirandum dictu! nullo aestuat igne? quid illud,
Proxima quo late tellus perfusa madescit,
Vellus rore carens, ni te, purissima rerum
Virgo, refert? quippe aetherea divinitus aura
Concipies afflata Deum, paries quoque casto
Pura sinu, nullasque vices experta pudoris.
Vos etiam, isacides, clarum genus, heroinae,
Et Sara magna virum genitrix, et pulchra Rachele,
Deboraque, et parto celebris Iuditha triumpho,
In tanta propius nituistis imagine laudis.
At non ulla tamen parili se iactet honore:
Namque ut purpureis cum sol caput exserit undis
Luce sua astrorum fulgentia lumina condit,
Sic cunctas illa antevolat, digna una futuram
Quam libani cedri, quam sioniae cyparissi
Et platani referant, et olentia germina amomi,
Quaecumque et Sator omnipotens potiora creavit,
Cum circumfuso libravit in aere terras.

VI

SANCTA MARIA VIRGO IN CAELVM SVBLATA

Me novus urit amor: celerem me tollite, venti,
Et date stelliferi sublimem in vertice caeli
Adspectare decus magnae Genitricis et ora.
Ecce procul terrae fugiunt, et nubila, et aureis
Sideribus celebrata domus: secreta piorum
Concilia apparent oculis, sedesque beatae.
O quam te video, Genitrix! quae, quantaque fronti
Addita maiestas! roseis ut crinibus astra
Certant, quos triplici gaudent redimire corona!
Vt niveas subter sinuat se argentea plantas
Astrorum regina! omnes ut colligit ignes
Sol et purpureo dominam circumdat amictu!
Ipsa tuo aspicio circum pendentia nutu
Agmina caelicolum pennis volitare coruscis,
Et thyasos agitare leves celeresque choreas.
Qui vero cantus vocum fidiumque canoris
Insonuit numeris! avidas et blandus in aures
Insinuans sese complet dulcedine pectus!
En chorus aligerûm dulci modulamine laudes
Virgineas et facta refert: ut prima superbum
Calcarit satanae collum, scelerisque nefandi
Felle venenatas victrix evaserit auras:
Divinam ut sobolem felix susceperit, alma
Virginitate nitens; ut opem mortalibus aegris
Optatam partu attulerit, penitusque tyranni
Eruerit regnum, stygiosque everterit hostes.

« Summi te Natam Patris, Matremne vocamus?
Dicemus Natam, dicemus te quoque Matrem.
Scilicet ille tuus nitor et mens nescia fastus
Tanto divinum succendit Numen amore,
Sede ut posthabita caelesti optaverit alvum,
Candida Virgo, tuam. Prima haec tibi laudis origo,
Fons prior hic fuit unde omnis tibi gloria cessit.
Hinc te mortales Dominam, Dominamque verentur
Caelestes: quin ipse Pater, te, Diva, secunda,
Tergemini imperii late moderatur habenas.
Salve, o magna Parens, magnum decus addita caelo.
Dum tua permaneat virtus, virtuteque parta
Gloria, caelicolum semper celebrabere cantu ».
At cur tantarum subito spectacula rerum
Defecere oculis? cupido quis gaudia tanta
Mature invidit mihi? sedes o ubi laetae,
Et choreae, et cantus, tuque, o mea Diva? Putabam
Me caelo insertum superisque e civibus unum:
Nunc moror in terris, et adhuc mortalibus auris
Vescor ego infelix! Odiosa abrumpere vincla
Ista libens cupio, aeterno dum perfruar aevo,
Inque tuo laeter, Genitrix pulcherrima, vultu.

VII

SS. PVERI INFANTES AB HERODE NECATI

Illustres canimus Pueros, quos ardua virtus,
Vulneraque in membris accepta recentibus, oris
Intulerunt superis: laeto nunc agmine divi
Pone legunt Agni vestigia, perque vireta
Colludunt caeli rutilis distincta smaragdis.
Vos modo, queis pulcra primis clarescere morte
Contigit, in tenero succisi germine flores,
Vos numeris aperite viam cantusque movete.
Tempus erat, prono nutans cum cardine mundus
Compositis steterat ferventibus undique bellis;
Candida pax terris subridens leniter imbre
Spargebat roseo divi incunabula Nati,
Bethlaeosque novo vestibat lumine colles.
Cum indignata premens alto sub corde furorem
Horrendumque minans, nigris irrupit erynnis
Sedibus: implexos obtexit crinibus angues,
Et gravida obliquo contorsit mitius igne
Lumina, fallacisque dolens mendacia frontis
Induit: at tristi gliscebant corda veneno,
Ardentemque intus curaeque iraeque coquebant.
Sic volucer mediae per muta silentia noctis
Labitur, et solymi fraudum fecunda tyranni
Tecta petit superatque fores, somnoque iacentem
His amens dictis compellat: « Maxime regum,
Quid cessas? cum te funestis aspera fatis
Damna premant, segnem poteris cepisse quietem?

An nescis, Puerum antiquo de sanguine cretum
Adfore veridicos olim cecinisse parentes,
Qui temet solio incautum detrudat avito?
En ferus hostis adest: te saevo arcere periclo
Ne dubita, et Puerum praesenti morte reposce ».
Haud plura his: verum, gremio quem condidit ignem,
Iniiciens, pavido praecordia ad intima regi
Subdidit, atque atris fugiens se miscuit umbris.
Continuo serpens facili per viscera lapsu
Nigra lues curasque serit vigilemque timorem.
Quid faciat rerum tanto in discrimine? Visis
Credat inesse fidem, an tacitae ludibria noctis?
Verum adventantes aurorae ab litore reges,
Atque ardens caelo funesta luce cometes,
Tristia portendunt animo: terroribus angit
Suspicio mentem et regnandi dira libido.
Stat, pueros infanda omnes involvere caede,
Speque domos gentis cunctas viduare novella.
Ecce adeo iussi stricto mucrone ministri
Diversi obsiduntque vias volitantque per urbem
Attonitam: at dubius manat per compita rumor,
Et trepidae matres natorum amplexibus harent.
Heu miseris quantus dolor ingruit! Omnia circum
Tecta satellitibus fervent, gladioque furenti
Insontes puerorum animas ad vulnera poscunt.
Quid lacrimae prosunt, quid lentas tendere palmas
Supplicibus iuvat et ferrum prohibere precando?
Scilicet haud ullis mollitur victa querelis
Barbara saevities, nec fletu vincitur ira.
Frustra etiam opposito tutari pectore prolem

Quaerant, et tenebris se se celare repostis,
Aut celeri rapuisse fuga. Fugientibus instat
Vndique torva minans tortor, retinetque capillis
Implexas. Matrum nati caeduntur in ulnis,
Quas anima fugiente vocant; pars impete diro
Ad terram allisi franguntur membra, vel ense
Confossi dulcem crudeli in funere vitam
Semianimes ponunt. Late loca sanguine squalent
Innocuo, late miscentur cuncta tumultu,
Et matrum gemitu resonant longoque ululatu.
Interea mediis aderat de nubibus ales,
Qui meritis nectit victrici fronde coronam,
Agnoscitque novos aulae stellantis alumnos.
Quos simul ignito laetantes aere sepsit,
Dux iter isiacas praepes monstrabat ad oras.
Illi autem incertis primum se credere pennis
Experti, saltusque nigros vallesque reductas
Labentemque vident septena per ostia Nilum,
Et prope memphitas despectant desuper arces.
At Christum cupidis confestim invisere ocellis
Vrget amor, pulcrasque notas et pectora honestis
Saucia vulneribus viridesque ostendere palmas.
Ille quidem leni subridens ore frequentes
Excipit, et laetis divino munere sortem
Eximiam et primas laurus gratatur adeptis.
Tum iucunda alacri portantes nuncia vultu,
Lucem ipsi serae trepidant inducere nocti,
Qua veteres mersi dudum iacuere parentes.

VIII

DEIPARA MARIA S. IGNATIO LOIOLAEO IN DOMO PATERNA AEGROTANTI SE VIDENDAM PRAEBET

Diva potens caeli, cuius sub numine cepit
Gens Ignatiadum auspiciis felicibus ortum,
Post etiam aeternis virtutem extendere factis
Gestiit, oceani trans vasti litora quaque
Funditur extremas tellus habitata per oras:
Vnde mihi tandem ducatur carminis ordo,
Si gratus benefacta velim et praeclara referre
Munera? quippe tuis, Virgo, sunt omnia plena
Muneribus, vinci et nequeunt benefacta canendo.
Ignatî primo decus eloquar, adfuit olli
Cum divina Parens, et castis pectora flammis
Incendens adspectu oculos mentemque beavit.
Iam belli laudum et levium pertaesus amorum,
Magnanimos ausus immortalesque triumphos
Versabat secum, superi si coepta secundent.
Nox erat atque aegros mentis lenire labores
Suadebat tacitis astrorum blanda choreis:
Ille tamen vigilem interea traducere noctem
Cogitur ingenti curarum concitus aestu:
Namque urbem effugere et patria decedere terra
Ardet, et in mediis se posse recondere silvis,
Actae ubi det vitae subiens asperrima poenas.
Haec volvens, subito clara micuisse penates
Luce videt: nitor ecce domum complevit, et aura

Insuetum pariter late expiravit odorem.
Confestim stupuit monstris exterritus, atque
Lumina demisit radiorum ignisque corusci
Haud patiens, divûmque insuetus cernere vultus.
Tum sonus auditur, mediis et reddita flammis
Vox est, quae pectus dulcis pervenit ad imum:
« Exue, nate, metus animo, tibi Numinis adsum
Atque eadem tua Mater: tu divam adspice Matrem:
Fas tibi caelestes oculis advertere formas »
Dixerat: ille nova plenus dulcedine pectus
Adspicit, obtutuque haeret defixus in uno.
Qui tibi tum sensus? qui corde arsere calores,
Ignati? qui tum trepido sub pectore motus,
Cum tibi subridens Genitrix sese obtulit ultro
Spectandam et penitus divinum afflavit amorem?
Nubem inter radiis ardentem lucis et auro
Insignem, adstiterat visu pulcherrima Virgo:
Cui nive candidior vestis, fusique vagantur
Per leves humeros et eburnea colla capilli.
Illa renidenti tandem sic ore locuta est.
« O nate, o dulcis pridem mihi cura, caducae
Iam formae illecebras motaeque cupidinis ignes
Contemnes, nostri satiatus imagine vultus.
Macte animis, te magna vocant exordia rerum:
I modo, quo tua nunc melior sententia mentem
Vrget, et immissus superis de sedibus ardor ».
Haec fata aethereis subito se reddidit astris.
Ille autem Divam fugientem voce secutus:
« O Mater, quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Agnosco tua iussa libens, tuaque omina laetus

Accipio ». Dulci tum corda micantia sensu
Percussus, vultum lacrimis atque ora rigavit.
Nulla illum posthac flexerunt gaudia, nullae
Quae revocant animos misera ad solatia curae;
Nec quae imis haeret flamma insidiosa medullis
Ausa est pacatis furtiva incendia membris
Amplius iniicere, aut occulto serpere lapsu.
Ille autem patrii fugiens a limine tecti,
Vulgi delicias et opes contemnit avitas,
Pareat ut superum monitis: non se tamen ante
In tenebras nemorum atque antro occultabit opaco,
Quam tibi, Virgo, tua submisso poplite in aede
Ingentes referat grates, et pignus amoris
Suspendat clarum sacris altaribus ensem.

IX

S. ALOISII GONZAGAE ORTVS

Dum tua, Loisides, redeunt volventibus astris
Expectata diu festae sollemnia lucis;
Quid tibi, sancte, prius merito gratemur ovantes,
Quam collata tibi nascenti munera? Vix dum
Prodieras infans dias in luminis oras
Progenie regum cretus, vix flumine sacro
Ablutus fueras, caelo tibi Numen ab alto
Arrisit placidum, tum te de millibus unum
Legit quem primis sibi desponderet ab annis.

Nec mora: digressa adveniens caelestibus oris
Quae mores hominum, quae vitam informat ut omnis
Sit sceleris bene mens pura omnisque anxia recti,
Praesto Diva fuit puero, quem molliter ulnis
Excipiens animo superos afflavit honores.
O quantum tali sese iactabit alumno
Nutrix! intentis quantum mens candida curis
Respondere parat! Capiti quid serta caducis
Fama intertextis componat floribus? aut quid
Gloria fallaci pertentet pectora sensu,
Subiiciens titulos et claram nomine gentem?
Inde usque a teneris maiora affectat apisci
Excelsus virtute puer; pietatis amore
Loisides castae tactus, tactusque supernis
Muneribus, vertit totam ad caelestia mentem.
Illuc vota animi desideriumque ferentem
Non levis ambitio, nec opum male sana libido
Incautum rapiet: celsas contemnit aviti
Spes regni, et curas circum laqueata volantes
Tecta fugit, vacuos iam spernere fortis honores.
Quin etiam clausum penitus munimine pectus
Stat solido, ut pateat via nulla furentibus usquam
Facta cupidinibus. Procul hinc procul abiice taedas,
Turpis amor, turpes hinc et sperare triumphos
Mitte, inceste, tuos, quando iam dignior olli
Corda domat, facilesque exurit flamma medullas.
Scilicet exorsus tantis e laudibus aevi
Primum Loisides ver ducens, quo sua tandem
Quo decora alta feret? quantis virtutibus augens
Vivet, ut illius clarescent saecula factis,

Donec supremis insertus fulgeat astris!
Fortunate puer, magnum caeli incrementum,
Dum tantis quod tu fueris ditatus ab ortu
Muneribus laetor, precor o, mihi candidus adsis
Adspiresque, tua ut laetus vestigia lustrem.

X

FLORVM CVLTVRA

Si quem ridentis delectet gratia ruris,
Fragrantesque iuvent, quos pulcre ostentat honores
Hortus dives opum variarum, et molle vireti
Alliciat capiatve decus, quid dulcius esse
Credam, quam flores tenuem coluisse per artem?
Illos fictilibus libeat si credere testis,
Seu brevibus magis areolis componere, buxus
Quos viridans aeque secernat; terra benignam
Se dabit, et variata coloribus intermixtis
Gnavis laetitiam pariet cultoribus ultro.
Haec fortunatae grata oblectamina vitae
Primaevos, ut fama est, olim tenuere parentes,
Cum nondum spinis ac sentibus obsita tellus
Floreret, nostrum nec posceret invida cultum.
Devia per lucos et per viridantia tempe
Eva parens ibat, teneris qua plurima circum
E foliis arbos animas halabat odoras,
Qua sol firmabat radiis, et molliter aurae

Mulcebant tremulae natos sine semine flores.
Ludicra cura sibi aut vitreis adspergere lymphis
Gramina, sive solo teneras defigere stirpes;
Nunc ramos fulcire leves, nunc nomina plantis
Indere odoratis : et se quacunque pererrans
Ferret, purpurei pingebant arva colores,
Et niveo passim optabant pede gramina tangi.
Saepe etiam halanti circumdata flore capillos,
Tinnulo et argutam crispans modulamine vocem,
Qua pellucidulo fons purior amne petebat,
Constitit ut sese opposita spectaret in unda:
Quam cultuque novo et praestantis imagine formae
Gaudentem, furtim nimbo sparsisse rosarum
Dicitur Integritas. Felix! ni protinus anguis
Pestiferi hausisset fallaces credula voces.
Non humus ingenium, non degeneres sua flores
Munera mutassent: ea nunc cultura laborem
Fert saepe, et curas interdum fraudat inanis.
Delicias tamen innumeras, atque otia praebet:
Felicis nam servat adhuc vestigia vitae.

ELEGIAE

I

PVER IESVS PRINCEPS PACIS

Plaudite io! gelidi modo qui sub fornice saxi
Virgineo Puer est editus e gremio,
Adparat eversis saecli succurrere rebus:
Haud certe vani Nominis omen habet.
Nominis omen habet, certam quod ferre salutem
Et finem innumeris spondet adesse malis.
Infelix fato curisque exercita iniquis
Gens hominum, heu longa perdita amaritie,
Pone aegros tandem luctus: nam sors tua dudum
Invitas egit depluere imbre genas,
Iam tum cum vetita fatale ex arbore pomum
Ausa manu est avida carpere prima parens,
Illa parens nimium male cauta vafrique colubri
Scilicet astutis credere prona dolis.
At sua damna statim sensit, mirataque primum est
Quae caderet tumidis uvida gutta oculis.
Tum quocumque gradus, quocumque aut lumina ferret,
Questa in perniciem est omnia versa suam.
Non, pede quos molli premeret, dabat avia flores
Laetaque nativo vere nitebat humus:
Omnis at aridulis pallebat frondibus arbos,
Atque ager obductis sentibus horruerat.

Nubila, quae caelum turbarent desuper, atros
    Saepe coruscabant fulguris igne sinus.
Inde hominum generi labes, et tempore cuncta
    Ex illo nobis nata fuere mala.
Iustitia excessit subito, pax aurea visa
    Ipsa etiam e nostris exsul abire plagis:
Atque cohors scelerum cunctas volitare per oras
    Arbitrio miscens fasque nefasque suo:
Haec rixas serere omnigenas, haec texere fraudes,
    Haec atra invisum spargere caede solum.
Tum capiti assidue diva ultrix adstitit: ense
    Districto heu quantum fulminat illa manus!
Nimborum memorem pontique patentia claustra,
    Naret ut immensis naufragus orbis aquis?
Impiaque in cinerem ut fuerint dilapsa supremum
    Deciduis flammarum oppida vorticibus?
Aut ut erythraeo fluitans in gurgite coepit
    Fervere demersis unda cadaveribus?
Vindicis haec passim superant monumenta furoris,
    Et terrent pavidis pectora moesta minis.
Tu tamen, expectate diu mortalibus Infans,
    Felix caelestes pacificabis heros.
Ipsa tuo vix dum audito bene Nomine tellus
    Iam sibi mutatas augurat ire vices.
Fallor? an excussa pigrae caliginis umbra
    Imam sol aureo lumine vestit humum?
Purior argento est vitroque simillimus amnis,
    Qui modo turbatis decolor ibat aquis.
Adspice desertis olea ut frondente virescant,
    Quae nuper stabant aspera saxa iugis.

Nullus non collis maturat vitibus uvas,
 Nullaque non vallis fruge benigna nitet.
Moribus atque uno sociatae foedere gentes
 Vna etiam gaudent otia blanda sequi.
Pars citharae strepitu gestit, pars carmina dicit,
 Et pars in numerum pellit humum pedibus,
Qua saliunt fontes balant aut prata rosetis
 Vmbrave odoratis decidit arboribus.
Abdita speluncis echo, silvisque susurrans
 Aura, sonat leni murmure, « regnat amor ».
Plaudite io! Pueri divino a Nomine faustum
 Cursum ineunt, fausta ut saecula multa fluant.

II

CVNAE PVERI IESV

Hoc quoque nascenti deerat, cunabula nusquam
 Vilia suppeterent ut tibi, sancte Puer?
Non sat erat, nostras prodire in luminis auras
 Sub vili exesae pumicis hospitio?
Non sat erat, perferre nives atque aspera brumae
 Frigora, quae late tristibus horret agris?
En Mater, Puerum cupidis amplexa lacertis,
 Nil ubi plorantem molle reclinet habet.
Pascendis praesepe feris vix adstat, et illic
 Infantis Genitrix lactea membra locat.
Debuerat tamen iste Puer regalia tecta
 Incolere auratas inter eburna trabes:

Quin fulvum imponi cunis radiantibus aurum,
Gemmarum et rubro est quidquid in oceano:
Tum veste instratus peregrino murice tincta
Fulciret pluma versicolore caput:
Olli fragrantes etiam redolere hyacinthos,
Et tyriam possent candida lina rosam.
Nunc aureis heu! pro cunis et divite gemma,
Praesepe incultum praebet et ulva torum.
At tu, quod Pueri teneros nunc excipis artus,
Quanto sis auctum munere nosse potes.
Nunc Puerum spectas niveas protendere palmas,
Oraque de teneris humida lacrimulis:
Audis vagitus, audis suspiria, molli
Quae ciet e Nati pectore magnus amor.
Ergo ars abiectum quod te properavit in usum
Cum rudis annosa ex arbore truncus eras,
Ne doleas; verum felix i sorte secunda:
Astra, puto, ingenti laude ferere super.
Non tyriae molles aut oriciae terebinthi,
Non quod laeta nitens India mittit ebur,
Desipiant adeo tecum ut contendere certent,
Sed pretio dicant se caruisse tuo.
Tempus erit cum te ditescere iure, suasque
Inter opes ingens visere Roma volet.
Quaque tholo gemino et centum sublime columnis
Templum olim summis stabit in exquiliis;
Auro conspicuum imponent sollemnibus aris,
Atque vaporato turis honore colent.
Accedens cupido te demirabitur hospes
Lumine, qui supplex oscula rite feret.

III

AD IVVENEM VT PVERI IESV EXEMPLO CVLTVM MODERETVR

Et potes omnimodas animi contendere curas,
Vt cultu totus conspiciendus eas?
Nec pudet in nugas vigilem conferre laborem,
Vt vana tumeas denique gloriola?
Tu tibi nempe places, si compti ex arte capilli
Ludentes humeris levibus involitent:
Seu tibi iucundo distillent tempora amomo,
Auras quod passim fundat odore leves.
Calceolos molli nitidos tibi quaeris aluta,
Arcta ut constrictos colligat ansa pedes.
Ostentas batavo percussas pectine telas,
Et tenui vestis vellere sola placet.
Neve probas, nisi quem lepidissima Gallia cultum
More suo formis adprobat archetypis.
Vtque magis captes fatui suffragia vulgi,
Te speculum lentus fingis ad oppositum.
Heu curas miseras! age sis, hunc cerne Puellum:
Qualis sit nosti quantus et ille Puer?
Ille quidem vitae daret ut praecepta beatae,
Has sedes superis sedibus antetulit.
Cui fuerat caeli stellantis regia, nudae
Exoriens subiit pumicis hospitium:
Nullae ubi munditiae, non lusus gaudia; verum
Fulciret niveum quae latus ulva fuit:
Detritas vix fasciolas dedit arcta supellex,
Ne membris nimium saeva noceret hiems.

Cetera divinus Puer hic sua commoda sprevit,
Exemplo ut scires non levis esse suo.
Haec tu cum reputas studia in contraria versus,
Haud capies sanum pectore consilium?
Eia agedum, vanus tibi sit iam taedia luxus,
Et subeat stulta de levitate pudor.

IV

CVLTOR AGELLI AD PVERVM IESVM

Hic ubi turba sacris affunditur undique cunis,
Natalem ut celebret, sancte Puelle, tuum,
En venio parvus male parvi cultor agelli,
Consuetas tacita fundere voce preces.
Non spernes humilem: te natum rustica pubes
Visisse in misero dicitur hospitio.
Quin tu etiam praesens ades o facilisque roganti,
Atque bonus votis adnue, Dive, meis.
Non ego divitias, quamquam pauperrimus, opto,
Non ut centenis iugera bobus arem:
Non pecudes, late quae pinguia gramina carpant,
Nec bona vernarum sit mihi turba peto.
Ipse ego servabo tenues per gramina capras,
Ipse ego convertam vomere curvus humum.
Hoc mihi contingat, securam ducere vitam
Castisque assidue moribus innocuam.
Tum si nulla subest timidis audacia verbis,
Pauperiem nostram, nam potes ipse, iuva.

Saepe mihi frustra tentata est alea, solvit
    Grandia quae numeris foenora sortilegis.
Namque ego quae sese obtulerant mihi somnia noctu,
    Captavi vano credulus augurio:
Fraudavique bonus vacuam parvo aere crumenam,
    Quod cupido centum redderet aureolos.
Consului nuper sortes: ast omina semper
    Quae cepi, in votis laeva fuere meis.
Ipse quoque, heu! fatuis numeris me lusit hiantem
    Custos sacratae barbiger aediculae.
Quid restat? numeros quos sors optata secundet,
    Tu mihi, tu praesens suggere, sancte Puer.
Ipse tibi refici curabo protinus istas
    Accepto gratus munere fasciolas.
Nummorum nolo lucrum quod compleat arcam,
    Sed miserum curta quod tueatur ope.
Quod satis est, ne fiam alieni debitor aeris,
    Frumentumque, domus quo sit alenda, parem.
Veste etiam trita nati laceraque decembrem
    Iamdudum horridulum se male ferre dolent.
Sed frustra clamant, opera mihi namque diurna
    Vix auctus deno sacculus aere sonat.
Ergo adeo angustam mihi rem laxare benignus,
    Da ternos, oro, sancte Puer, numeros.
Hos mihi si numeros renuis, da ferre malignam
    Aequo me saltem pectore pauperiem.

V

PRAESEPE IESV PVERI
ARTE EFFICTVM

O pueri, doctas adsueti volvere chartas,
    Discite morosum quod bene fallat opus.
Pallenti cum bruma gelu contraxerit undas,
    Nixque vetat caelo liberiore frui
Claustra fovere domus lusuque carere coactos,
    Cura nocens studium mollior excipiat.
Audistis, quae prima habuit cunabula Iesus,
    Cum pulsa hospitio venit ad antra Parens?
Ars referat vestris illa iu penetralibus antra:
    Mos ab avis extat, dulce laboris onus.
Sic ego fallebam studii fastidia, dum me
    Tundebat nimis heu! sordida semper anus.
Sic vos; sed sumptu ne parcite, quidquid in anno
    Corrasit, subito dextra benigna ferat.
Nec durum est opus; in tenebris locus aptus habendo
    Huic antro atque patens latius eligitur.
Assurgant tabulata prius suspensa tigillis;
    Haec terra, haec glebae, haec mollior herba tegat.
Inde specum secto nigrantem subere pones,
    Quae sit diversis pervia facta locis.
Bos cubet hinc, humilis sese hinc demittat asellus:
    In stabulis medius sit Deus ipse Puer.
Tum Sobolem venerata adsit cum coniuge Mater:
    Heu heu quo pietas duxit amorque Deum!
Desuper aligerûm superadstent millia multa
    Ordine, ceu nivea in luce canora manus.

Pars promat cantus, societ pars carmina nervis,
    Quisque colat Numen, gaudia quisque ferat:
Pastoresque vocent alii de rure propinquo,
    In quod prospectum pandat utrinque specus;
Prospectum cupidis vario spectacula dantem:
    Nam procul hinc laeva parte superba vides
Fronte iuga impariter vallem circumdare; at illinc
    Planitiem herbosos pandere cernis agros;
Tum nemus arboribus nigrans, scatebrisque perennis
    Fons saliens rauco murmure serpit aquis.
Quid si flumen agros interfluat, aut maris unda
    Alternum placide fracta recurrat iter?
Saxa quoque et pontes et moenia diruta pone:
    Segnia spectantis lumina stare veta.
Praecave ne citius spectandi expleta cupido
    Langueat: haec studiis laeta suis alitur.
Pascua tu statue in medio, quae tondeat ingens
    Grex, servetque gregem sedula turba canum.
Vtilis interea pastores cura moretur,
    Lac densare, dapes quo bonus ornet herus;
Fiscellas lento contexere vimine iunci,
    Cogere caseolum, sternere claustra boum:
Ludere par impar, plenos siccare cululllos,
    Ebriaque incerto iurgia inire pede.
Haec tibi fictilibus facile est simulare sigillis,
    Qnidquid et agricolae nocte dieqne gerunt.
Retia hic extendat, pisces hic arundine captet,
    Iumentum hic oneret, roboraque ille secet.
Quam iuvat ante focum vetulum spectare sedentem,
    Fasce sub inviso dum subit ille casam?

At mulier spargat gallinis provida fruges,
Gallorum cupido praesiliente choro;
Sive colo lanam carpat, digitisque subactis
Demittens tereti turbine verset opus.
Illinc aediculae custos sub rupe moretur
Barbiger attrita squalidus in tunica.
Sed prius haec desint malim, quam suavis asellus,
Qui puerum excussum dum male calce petit,
Iste pedes iactans miseros resupinus ad auras
Robora in immeritum frangere querna parat.
Sint quoque qui donis properent Bethlemica ad antra,
Laetis acciti vocibus aligerûm:
Ille agnam collo imposuit, dextra ille capellam
Ducit, at ille sinu gestat et abdit ovem.
Dulce onus est alii pomis calathiscus odoris,
Repleta aut molli fiscina caseolo.
Ast alii posito viden ut iam poplite repunt
Ad fortunatae saxa beata specus?
Consocient alii calamis stridentibus utres,
Conatuque inflent plurimo utrasque genas;
Ceu petaso oblongo qui Romae mense decembri [1]
Pallioloque brevi compita cuncta terunt.
Vltima nec tibi sit cura occultare facellas,
Sublustris noctis lumina quae referant.

[1] Intellige montanos homines, fere ex Samnio, Romam mense decembri advenientes, et Iesu Pueri ortum rudibus cantionibus atque utrium inflatorum modulis celebrantes: vulgo eos vocant *Pifferari*. De quibus vide carmen ex hendecasyllabis IX.

Sitque cavo in tenui specus orbis vitreus, e quo
Inspiciam appositis quidquid inest oculis.
Seu Bethlem surgentem urbem seu caede cruentam
Infantum ponis, vera subesse putem:
Sive procul cernam venientes divite ab ora
Aethiopas ductu sideris insolito,
Vera putem; hi certo parvum post tempore ad antrum
Deducti Puero regia dona dabunt.
Quid cessatis adhuc, pueri? iam numinis antrum
Gestio suppliciter mox colere ipse prece,
Mos ut avis fuit: hi divinum ponere in aris
Consuerunt Puerum qualibet arte rudes.
Hinc specus, hinc campi subiere, hinc pastor: eundo
Res saepe augentur, flumen ut auget aquas.

VI

NATALITIA STRENARVM MVNERA

Nascentis Iesu properat lux laeta, decembri
Non ut sit toto laetior ulla dies.
En viden? assiduo miscentur compita cursu,
Perque domos volitant omina perque vias.
« Hem bene sit vobis feriis natalibus, atque
Candidus auspicio qui redit annus eat ».
Spes fovet officium lucrique cupido, teruntur
Tecta parasito divitiora grege.
Servus hero largus promittit Nestoris annos,
Vt cuoido larga det sibi dona manu.

Valdius interea secum suspirat avarus,
Quod tumeat laxa pelle crumena minus:
Et male ait nummis verba officiosa rependi,
Deierat et fatuo in more subesse malum.
Hoc ego crediderim: longo at qui creverit usu,
Incassum morem vellere quisquis avet.
Nolo tamen iuvenem fraudari munere amicum,
Quod sit iucundae pignus amicitiae.
Non illi rarum pretio conquirere munus
Est opus, ista bonos cura pupugit avos.
Mille novae crevere artes, haec scilicet aetas
Maiores clamat mente fuisse rudi:
Et comitem rebus sic praecipit ire leporem,
Vt rerum novitas ipsa placere queat.
Parva igitur munus mittatur mole libellus,
Qui strenae adversa fronte gerat titulum.
Culta hunc luteolo velet membrana colore,
Mordeat argento fibula utrumque latus.
Exterior pellis pulcre auro interlita, et auro,
Quae fuit ora levi pumice rasa, micet.
Iam charta impressas referat nitidissima formas,
Atque anni primum signet ephemeridas.
Has dein excipiat verbis fabella iocosis,
Quam vetus e tusco furfure lingua probet.
Nec romanensis belli, puto, fabula deerit,
Veram quae falsae misceat historiam.
Seu canere heroas seu norint dicere amores,
Postremas ornent carmina paginulas.
Quid dicam argutas addi decuisse figuras,
Gallica quas duro finxerit aere manus?

Inde operi accedit laus maxima; namque venustas
    Compta peregrinis artibus una placet.
Hoc natalitium veniet cum munus amico,
    Vix non lacrimulis oscula mixta feret.
Iam tibi se carum, iurabit se tibi fidum,
    Et cupiet semper mutuus adsit amor.
Hinc sumet quoties donatum cumque libellum,
    Is recolet memori foedera iuncta fide:
Nam tereti pransus pervolvet pollice chartas,
    Quumque sopor faciet nocte silente moram.
Nec prius oblito exciderit de pectore munus,
    Quam strenam referant annua festa novam.

VII

FERIAE NATALITIAE

Dicebam, venient festo sollemnia ritu,
    Quae sunt infanti persoluenda Deo.
At mihi forte nihil studiis cessare licebit,
    Non erit ut solita lentus ab arte vacem?
Ecce adeo iubeor, rerum dulcissime, Iesu,
    Carmina natali deproperare tuo.
Res bona: sed vacuum his meme decet esse diebus,
    Quando suum differt vel rude vulgus opus.
Causidicus lites insanaque iurgia mittit,
    Nec terret trepidos iudicis urna reos:
Atque etiam tauris durus iuga solvit arator,
    Otia securus cum bove pagus agit.

Quin laudo si quis mensas eiuret avaras,
    Nec fraudet genio munera parca suo.
Solus ego cogar miserum exercere cerebrum,
    Poscere et invito carmina ab ingenio?
Pace tua dicam, liceat sed vera fateri,
    Sancte Puer, nimium est improbus iste labor.
Morosus nimium est doctor: tractu illinit atro
    Quae longa ingrato cura tulit studio:
Corrugans narem nunc versum culpat inertem,
    Nunc bis incudi reddere terque iubet.
Verum haud tanta subest animo patientia nostro:
    Ite procul, chartae o, ite procul, calami:
Et nigris in spongiolis malus areat humor,
    Ne macram possit fingere litterulam.
Lusibus oh saltem liceat requiescere festis:
    Quae sunt, ni fallor, debita iure peto.
Anne tibi tanti fuerint mea carmina, iniquo
    Pressus ut hoc doleam pondere, dive Puer?
De te alii scribant, mihi sancta per otia praestat
    Securo sanctos ducere posse dies.

VIII

IN SEPVLCRVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

Quid iuvat exstructi dives fortuna sepulcri,
    Nomen ut extremo a funere vivat adhuc?
Tempus edax passim ruit omnia, fulta columnis
    Marmora, et incisis grandia saxa notis.
Quae busta heroum cineres clausere, ruinis
    Sparsa atque annorum pondere victa iacent:
Quorum inter lapidum serpens sinuatur acervos,
    Iniecta et densis sentibus horret humus.
Anne tuae superant operosae, Caria, moles?
    Num stant pyramides, barbara Memphi, tuae?
Tantorum vix ulla operum vestigia restant
    Heu male desertis obruta ruderibus!
At non ista tulit saeclorum damna sepulcrum,
    Quod te, Iesu, olim condidit exanimem,
Et te conspexit victorem evadere, cum mors
    Eversa indoluit iura fuisse sua.
Illud Religio rapidis defendit ab annis,
    Nec sivit caeca nocte situque tegi.
Ipsa etiam imposito custos sedet addita templo,
    Et sanctum memori servat honore locum.
Ipsa peregrinum extremo qui litore venit,
    Suscepta ut posset solvere vota libens,
Excipit et casta fundens dulcedine pectus
    In lacrimas cogit molliter ire pias:
Oscula qui sacro libat saxo, et bene dicit
    Longinquae pretium se retulisse viae.

Christiadumne acies et praeclara agmina narrem,
Et pugnata pio bella cruenta solo,
Ne quae testantur nostram monimenta salutem .
Starent barbarico victa tropaea iugo?
Tunc sacra signa suis gentes de sedibus actae
Certarunt ultro militiamque sequi;
Quas nec amor patriae, nec tecti cura paterni,
Otia nec certi detinuere laris.
Esse pudet segnes, quum forti classica cantu
Et procul Europae a finibus arma vocant.
Iam coniuratae dant ventis lintea prorae;
Summo Crux malo fixa secundat iter;
Dum sua tam multo undis indignantibus aequor
Aestuat Ionium remige regna premi.
Quanta Palestinae spectabis proelia tellus,
Quae caedes agros imbuet atra tuos!
Nam Christi iuxta componi rite sepulcrum
Visum est egregii funeris esse decus:
Visaque ibi est pulcrae victoria laudis, opimas
Christus ubi e leto retulit exsuvias.

IX

AD AVRAM
VT SVA VIRGINI MARIAE
VOTA DEFERAT

O quae per nemoris spiras gratissima frondes,
Et tenui murmur flamine lene cies,
Et nunc halantes florum praedaris odores,
Nunc herbas inter ludis et inter aquas,
Sic te nusquam austri rabies boreaeque lacessat,
Sic, cupio, nusquam te mala laedat hiems;
Ne pigeat celeres paullum suspendere pennas,
Tuque audi nostras, aura benigna, preces.
Aestuat igne meum longo iam tempore pectus,
Atque urit puris purus amor facibus;
Quaeque hominum caelo et superûm Regina potitur,
Illa meus calor est, ignis et illa meus.
Et matutinis cum sol procedit ab undis,
Et cum se lymphas mergit in aequoreas,
Hanc, multa ingeminans tacito suspiria labro,
Hanc et multa orans nomine saepe voco.
Dispeream nisi sit vita mihi carior ipsa,
Atque animo atque oculis carior illa meis.
Nunc igitur Divae vota haec mea perfer ad aures,
Hoc tantum ut praestes poscimus officium.
Me dices haud velle alio torquerier igne,
Me dices velle hoc igne calere magis.
Eia o quid cessas? nostra haec mandata facesse,
Si Mariae haec referas paucula verba sat est.

I nunc sed velox, aura o pulcherrima, maius
    Nullam aliam, quae te sit mage pulcra, tulit.
At dum nimborum et boreae in regionibus altis
    Per nimbos et per nubila summa migras,
Ah cave crudeles eurique notique rapinas,
    Quorum in te gravior scilicet ira foret.
O utinam tu fausta mihi responsa reportes,
    Concipiam ut pavido gaudia laeta sinu.
Eia age, namque omnis mora longa videtur amanti :
    Te monui, decuit quae monuisse, satis.

X

IVVENTVTEM SVAM DEIPARAE COMMENDAT

O quae dum superas inter Regina choreas
    Fulges atque inter gaudia caelicolum,
Immemor haud terrae es, sed praesens nostra tueris,
    Nosque foves facili provida Mater ope;
Nunc ades ipsa tuo, poscit si iusta, clienti,
    Nec mea vota ferant diripienda noti.
Certe ego te quantum, Virgo, pote quisque rogare,
    Nunc rogo, plusque una lacrimula ara madent.
En mihi laeta agitur primaevi temporis aetas,
    Primaque floridulis vix venit umbra genis :
Adspice sed quantis circumque supraque periclis
    Vrgeor, incolumi non licet esse diu.
Ipsa adeo viden haud ullo natura labore
    In vetitum praeceps vertitur usque nefas.

Qualis in aerio frondosi vertice montis
    Rivus muscoso prosiliens lapide,
Acclivi pronus decurrit tramite, et unda
    Labitur e summis irrequieta iugis:
Sic nullo in vitium ruimus suadente magistro,
    Indita sunt nobis semina nequitiae.
Quid si etiam illecebrae accedant? si gratia formae
    Torqueat insanis corda cupidinibus?
Si faciles blando circumstent ore sodales,
    At tacita insidias mente animoque parent?
Quis me securum inter tot discrimina praestet,
    Cui bene me tandem fidere posse rear?
Tu mea lux, Virgo, mea tu spes una iuventae,
    Namque potes quidquid tu, mea Diva, velis.
Nempe ut sit nostri tibi cura pudoris adoro,
    Vt tibi sit nostrae cura pudicitiae.
Quid me, quid, bona Virgo, iubes sperare? precanti
    Adnuis? aut nostra haec irrita vota cadunt?
Non ita: namque tuos spectans, mea Mater, ocellos,
    Nosse satis videor iam valuisse preces.

XI

DE SVA IN COLENDA VIRGINE MARIA INCONSTANTIA CONQVERITVR

Ecquid nec moeror, nec me pudor occupet ullus?
 Nempe bono scelus est esse in amore levem.
Non ita concussae motantur in arbore frondes,
 Cum gravis umbrosum verberat aura nemus,
Quam facile instabilis nostram sententia mentem
 Mutat, nulla in re docta tenere fidem.
Iam tantae pigeat levitatis mobile pectus,
 Nostra notet tandem conscius ora rubor:
Nam quamquam serus doleo, doluisse iuvabit,
 Vtilis est saepe ut dicitur ipse dolor.
O Virgo, o mea vita, mihi nunc multa dolendum est,
 Dum fateor tibi me non tenuisse fidem.
Sum tamen ah quoties ausus dixisse, quod unquam
 Haud nostro posses effluere ex animo.
O quoties castum tibi sum testatus amorem,
 Ipsi adeo ut vellem mi exciderent oculi,
Si, mea lux, aliud quidquam te praeter amarem,
 Si quidquam esse mihi posset amabilius.
At venti rapuere leves promissa, severis
 Incusat verbis me violatus amor:
Improbe nec posthac sperande fidelior ulli,
 Sic igitur cessit pectore Virgo tuo?
Cessit et illi uni studiumque et cura placendi,
 Dulcis cura nimis, dulce nimis studium?
Nec memoras tibi quanti arsere in corde calores
 Cum nondum instabili tam vagus ingenio,

Aut tacitus carae spectabas lumina Divae,
Aut tacitae adsueras dulcia verba loqui?
Nec memoras benefacta pio male gratus amori
Parta tibi puero, parta tibi et iuveni?
Heu miser usque tui dum vives immemor ignis,
Heu miser heu alius si cor adurat amor.
Sic angor merito, mihi nil licet hiscere contra,
Atque aliqua ex oculis humida gutta cadit.
O parce, o mea vita, mihi, si carminis huius
Non sine lacrimulis munera persolui:
Et quamquam haud mereor veniam, tu scilicet ipsa
Spe timidum dulci me, mea Virgo, foves;
Spe timidum mea Virgo foves; atque haec mea posthac
Vna erit usque tibi cura placere magis.
Hoc unum doleam posthac, quod non mea semper
Vna oculis fuerit cura placere tuis.

XII

IN PVRISSIMVM MARIAE SANCTAE CONCEPTVM

Totum qui magnis componens legibus orbem
Libravit certis omnia ponderibus;
Praebuit ardenti primum qui lumina soli,
Fixit et aethereo sidera spissa polo;
Et dedit in mediis stellarum ut luna choreis
Candida nocturnum lumine signet iter;

Compulit atque suis immensum finibus aequor,
Nec tulit immites longius ire minas :
Idem fecunda conceptam matris in alvo
Te vidit placidis, dia Puella, oculis ;
Atque tibi ipse favens, rerum pulcherrima Virgo,
Exemit dirae semina dira luis.
Femina nam postquam decepta est arte colubri
Stringeret ut sacra poma inimica manu ,
Heu misera infelixque parens, funestaque fata !
Sese et progeniem perdidit ipsa suam.
Scilicet hinc pestis nigris effusa tenebris,
Ac late terris omnibus acta lues,
Humanam infecit gentem populosque veneno,
Praebuit et turpi pabula nequitiae.
Hinc funesta cohors primum est exorta malorum,
Criminis hinc primum plurima aperta via est:
Effectumque procul superis ut sedibus acti
Eheu mortales in vada nigra ruant.
Ceu quondam immensus magno cum murmure torrens
Montis ab aerio culmine praecipitat,
Pernicies heu quot, quot clades turbidus infert,
Et quantam miseris spem rapit agricolis !
Diluit ut campos, sata laeta boumque labores,
Vt torquet rapidis omnia vorticibus !
Cum tamen in mediis hominum genus omne procellis
Poenas infandi criminis usque luit,
Tu, Virgo, nullis iactata es fluctibus una,
Vna et communi sospes ab excidio.
Non secus ac quondam, incensum cum Numen ab ira
Immenso involvit saecula naufragio,

Quod iam corda hominum vesano adducta furore,
Et pessum caecis acta cupidinibus,
Omnes polluerant leges, iura omnia, nullum
Non passim fuerant ausa movere nefas:
Vnica ab exitio incolumis servata carina
Verticibus tandem sedit in Armeniis;
Illa inter nimbos tempestatesque sonantes,
Quae circum rauco dira fremunt gemitu,
Ingens dum late ruit aether et agmen aquarum,
Dum freta sunt imis excita litoribus,
Omnia dum vasto volvuntur naufraga fluctu
Atque procelloso gurgite pressa iacent,
Visa per iratas percurrere molliter undas
Et sensim latum vincere tuta mare.
Fortunata ratis! nunquam fugientibus annis
Et caeca nunquam tu pote nocte tegi:
Omnis quin etiam te demirabitur aetas
Servantem humani reliquias generis.
Verum te mage suspicimus, bona Partheni, teque
Omnis iure aetas postera suspiciet.
Quique diem hunc precibus, sacro qui carmine festum
Concelebrant laeti, castaque dona ferunt,
Vnam te cunctis dicunt praecellere, nostrum
Quae reparas nulla labe notata genus.
Salve, dia Infans, rerum purissima, salve:
Alma velis vati dextera adesse tuo.
Vnam te, quantum potis est mage quisquis, adoro,
Da possim pura mente animoque frui.

XIII

IN MAGNAM DEI MATREM PERDOLENTEM

Tu ne adeo in tantum, Mater, servata dolorem
    Vt Nati adspicias funera dira tui?
Pendentique adstes infami e robore, donec
    Dulcem languenti reddat ab ore animam?
Nil heu materno certe contingere amori
    Hoc luctu gravius, nil pote flebilius.
Ista mihi species lacrimas ciet, ista cieret
    Sive essem ferro durior aut calybe.
Externata iacet Mater moestissima casu
    Immensisque animum luctibus implicita:
Flere nec aegra potest, dare nec suspiria, summus
    Moeror ei gemitus obruit et lacrimas.
At non hoc miseram, credo, sperare iubebant
    Quae tulit e Nato gaudia laeta suo,
Cum primum supera delapsum ex arce recepit
    Virgineo casti pectoris hospitio;
Cumque erepturum stygiis genus omne catenis
    Humanum intacto protulit alma sinu.
Hinc una ille fuit Matris cura, una voluptas,
    Corde et qui penito glisceret unus amor,
Mollia seu tereti vinciret colla lacerto,
    Seu lac e niveis sugeret uberibus;
Seu patria profugus peregrinas quaereret oras
    Dilecto pendens parvum onus e gremio;
Aut aevo et forma et miris virtutibus augens
    Gauderet parvo delituisse lare.

Huccine delicias, huc spes et dulcia vota,
Dia Parens, curas huc recidisse tuas,
Vnigenam ut cernas Natum, florente iuventa,
Tam dira indignae fata subire necis?
Adspicis heu! nec nosse tuum potes ipsa; recessit
Quippe omnis noto, qui fuit ore, decor.
O ubi frontis honos, rosea et cervice fluentes
Crines, et niveis purpura mixta genis?
Quo cessit, blandis inerat quae gratia labris,
Verba unde effluerent dulcia melle magis,
Flectere quae nuper durissima pectora suerant,
Atque afferre imis sensibus illecebras?
Illa abiit species, ut si pallente corymbo
Flos olim in pratis languit aridulus.
Ecce adeo facies squalet male decolor, horrent
Aspera ab hirsutis tempora nexa rubis,
Qui caput, exsanguesque oculos, sedemque cerebri
Scilicet exserta cuspide transadigunt.
Horrifici lacerant, visu miserabile, clavi
Perque pedes fixum in stipite perque manus.
Nulla est in toto pars integra corpore, livent
Membra ex inflictis omnia vulneribus.
Et sanguis fluit... Oh! tantos haurire dolores
Ne possis, alio lumina verte, Parens:
Ille tuus sanguis, tua sunt membra illa, cruentis
Barbaries ausa est quae violare modis.
Sed stat, et obtutu pallens aegrescit in uno,
Suspiciens cari supplicium capitis.
Huic igitur leves feritas male sauciat artus,
Illi corda ferus mollia torquet amor:

Quin telo secat infixo. Poena ut premat unum,
Poena eadem exitio dat tamen una duos.
Est aliquid soboli moriturae posse parentem
Quodlibet humanae ferre levamen opis,
Condere sive oculos suprema morte natantes,
Vel dulci fugientem excipere ore animam:
Haec quoque, si qua putem miseri solamina luctus,
In summis Virgo non habet aegra malis:
Vtque merus Natum dolor urget, sic pia Mater
Moestitiae immenso turbine pressa iacet.
At tu, si tantis dum moeres perdita curis
Moerentis tecum haud abnuis officium,
Excipe quos licuit questus effundere: dulces
Tecum etiam, Mater, sunt lacrimae et gemitus.

XIV

IN OCVLOS MAGNAE VIRGINIS

Aurea divinae Genitricis lumina, vestras
Quis tantus laudes concelebret meritas?
Quis vestrum possit decus unquam efferre canendo,
Et neget hoc parvis se tenuare modis?
Nempe tuis species, mea Diva, renidet ocellis,
Quam non ullius verba referre queant.
Oh valeat posthac omnis decor atque venustas,
Quae vix nata levi flamine tacta cadit.
Mi tua sat fuerit meditari lumina, Virgo,
Vrit inexcitus queis mihi pectus amor.

Vos mage pura nive et niveo mage candida lacte,
    Vos matutina lucidiora face:
Quin aurora etiam melius non enitet, et sol
    Haud melius rutilis fulget ab axe rotis.
Haec torquent faciles feriant quae corda sagittas,
    Inque his vel superi quod tueantur habent.
Scilicet illa, polo qua se pulcherrima vertant,
    Continuo pacem laetitiamque ferunt.
Quid totum iratis convulsum fluctibus aequor
    Pallidus in media, navita, nocte times?
Incusasque fretum respectans litora iniquum
    Et male conversos in tua damna notos?
Fer Divae vota: illa oculis si adspexerit undas,
    Concidet indomito protinus ira mari.
Cum forte agglomerat nimbos densissimus auster,
    Et praeceps pluviae iam ruit agmen aquae,
Si paullum bona Virgo suos deflectat ocellos,
    Purgato fugient nubila cuncta polo.
Exustos campos et sicca humoribus arva,
    Cum vis caelestis saevit iniqua canis,
Ingemit agricola adspiciens: tu lumina flectis,
    Partheni, perque putrem vis nova serpit humum:
Arentes amaranthi et languiduli narcissi
    Attollunt nitidum fronde virente caput;
Prataque vernanti rident distincta colore,
    Prata oculis, Virgo, mollia facta tuis.
O dulces oculi, cara o mihi lumina, quis vos
    Crediderit nostris et doluisse malis?
At doluistis enim: nos o nos vidimus ipsi,
    Tuque a loo saeclis urbs mea testis eris;

Cum foeda instarent bella horrendique tumultus
    Impius et toto glisceret orbe furor,
Nec spes iam nostrae nobis foret ulla salutis,
    Exitium at praesens omina cuncta darent,
Ac trepidae matres, tenerae et sine more puellae
    Questibus implerent omnia sollicitis;
Tu pictis, Virgo, tabulis, mirabile dictu,
    Pallenti varians moesta colore genas,
Conspersa uvidulis volvebas lumina guttis
    Prospiciens gentis damna futura tuae.
Pande o nunc teneros etiam miserata malorum,
    Pande oculos, caram et respice progeniem.
Ne pigeat tandem everso succurrere saeclo:
    Si semel adspicies nos, bona Virgo, sat est.
Nostra tamen luimus si nondum sanguine nostro
    Crimina, nos et adhuc plura dolenda manent,
A nobis saltem per saeva pericula rerum
    Nunquam averte oculos, o bona Diva, tuos.
Ipse tuis vivens defigam semper ocellis
    Lumina, nil supra est quod mihi discupiam.
Ipse tuis pallens figam languentia ocellis
    Lumina, supremum cum feret hora diem.
Hos etiam adspiciam in superis felicior oris,
    Cum lux atque animi vita perennis erit.

XV

MARIA SANCTA VICTRIX

Cedite io, fortes armis belloque potentes,
Et nova vos docti subdere regna duces :
Cedite victores capitolia celsa petentes,
Queis ornant meritas laurea serta comas.
Quid mihi disiectas excisis moenibus arces
Albaque constratis arva cadaveribus,
Quidve mihi raptos praedae monstratis acervos,
Hostium et evinctas post sua terga manus?
Cedite; vestra modo vulgi fama occupet aures,
Nam Mulier nostro maior in ore sonat.
Illa licet casto niteat pulcherrima vultu
Et crine et blandis conspicienda oculis,
Cum tamen effulget galea praesignis et hasta,
Vna est innumeris fortior agminibus.
Non hic Iuditha audaci fortissima dextra
Cervicem caesi praeferat Assyrii :
Nec Sisaram iactet transfixaque tempora clavo
Debora, victrices sanguinolenta manus.
Nos Illam canimus, latitans quae matris in ipsa
Mollis adhuc alvo clara tropaea tulit.
Tunc sedes tremuere erebi, raucoque gementes
Murmure tartareae personuere domus,
Maioresque sibi clades et funera pavit
Qui tenet horrendos, pallida regna, lacus.
Iam tum flore novo lauroque innexa capillos
Visa coronatum tollere Virgo caput :

Tum quoque caelestes vox est audita per auras:
Praestat terribiles una Puella duces.
En clypeum gladiumque parat galeamque nitentem,
Belligeroque ardens emicat ore furor.
Quid iuvat adversas urgere in proelia turmas,
Quid iuvat inflata signa movere tuba?
Terga date, o miseri: fugientibus illa catervis
Fulminco quantas afferet ense neces!
Evenere: orbis solvi sua vincula sensit,
Et patuit facili tramite ad astra via.
At quae tot mulier potuit retulisse triumphos
Vna est innumeris fortior agminibus.
Ergo age et aligerûm delapsi ex aethere coetus
Virgineum properent concinuisse decus:
Vt fracto stygios excidit cardine postes,
Palluit et diri noxia turba loci;
Vtque hosti frustra vesana in bella ruenti
Pressit ovans forti barbara colla pede.
Tu superi portis invicta affigis olympi
Quas merito victis eripis exsuvias.
Non te mille acies, non saevis horrida telis
Terruit e nigris concita turba vadis.
Adspice ut infernis illidat cornua muris,
Sanguineoque amens frendeat ore draco:
Adspice ut ipse suas furiata mente catenas
Mordeat, et sanie sparsa tepescat humus.
Salve, Diva potens, nostrae tutela salutis,
Salve, una innumeris fortior agminibus.
Tu facilis felixque veni pede, Diva, secundo:
Sic tuus aeterna laude virescat honos.

XVI

S. IGNATIVS IN MANRESANA SPECV SOLITARIAM VITAM AGENS

Aspera Manresae sinuato fornice saxa,
    Et spissa saxis adsita silva coma,
Tuque adeo parvo decurrens leniter alveo
    Qui volvis nitidas proximus amnis aquas,
Dicite quis vestris hospes sese abdidit oris,
    Insigne et vobis ducitur unde decus.
Felices nimium fortunataeque latebrae,
    Sancti ego deveneror pumicis hospitium.
Hic coetus Loiola hominum et commercia vitans
    Instituit magnae laudis inire viam.
Pro clamyde et zona, qua iam suspenderat ensem,
    Crassior adstricto fune lacerna fuit.
Non cura horrenti barbam depectere mento,
    Hirtum aut composito comere crine caput.
Pes alter nudus, nam vulnere saucius alter;
    Foedaque non secto turpiter ungue manus.
Corpore squalebat toto, maciesque virentes
    Fraudarat primo pallida flore genas.
An memorem vigiles solitum traducere noctes,
    Et fessa in duro ponere membra solo?
Anne obfirmata narrem ieiunia mente,
    Acriter in plures continuata dies?
Vtque ille auderet semet cruciare flagellis,
    Dum faceret tandem dextera lassa modum?
Elicitus venis laceros infecerat artus,
    Suppositam et sanguis tinxerat udus humum.

At precibus pergens castis insistere, suerat
Omnimodas animo pascere delicias.
Oh quoties illi, in solo dum degeret antro,
Ante oculos patuit regia caelicolum!
Saepe etiam per nocturnas dum forte tenebras
Sollicitus superos pacificaret heros,
Irradiare umbras trepidantibus agmina pennis
Visa atque inductis plaudere laeta choris,
Certatim aut saxum niveo praetendere coetu,
Dulce aut ridenti carmen hiare lyra.
Quin ipsa e caelo Virgo delapsa sereno
Intulit huc mollem candida diva pedem;
Innixa et scabro fulgentem in limine plantam
Ambrosiae totum mulsit odore specum.
Mollia tum roseis deducens verba labellis,
Dextra animo faciles insinuabat opes;
Virtutisque novae ac vitae praecepta docebat,
Et quod securum ad sidera ducat iter.
Excipit is scripto quae Virgo dictat, at inter
Oblitam calamus decidit ipse manum:
Namque oculis haeret dio defixus in ore,
Et penito sensim carpitur igne sinum.
O felix antrum! nostro celebrabere cantu,
Nec te nox caeca posteritate teget.
Non domus artifici exaequat te fulta columna,
Regiave auratas inter eburna trabes.
Sat tibi Loiolam vitae asperiora secutum
Consilia hospitio demeruisse tuo.

XVII

S. ALOISIVS GONZAGA
MONENTE DEIPARA VIRGINE MARIA
SOCIETATEM IESV INGREDITVR

Vt quondam dumos inter sentesque malignos
 Attollunt timidum cana ligustra caput,
Et metuunt niveo calathi frondentis honori,
 Lasciva intactas dum ciet aura comas:
Talis praeclaro regum de sanguine cretus
 Loisides, stirpis fama decusque suae,
Aulae nequitias inter moresque profanos,
 Et molles, animi certa pericla, iocos,
Discupiens sancti leges servare pudoris
 Ducebat trepidos anxius usque dies.
Verum sidereis flectens sua lumina ab oris
 In terras summi Numinis alma Parens,
Praesenti puerum vultu respexit, et illum
 Haudquaquam est duras passa subire vices.
Vrgebat tacitis suspendere vota labellis
 Submisso ante aram poplite Loisides,
Cum subito fluit ista piae vox Matris ab ore,
 Perque aures pueri pectora ad ima venit:
« Cur hic ulterius, Lodoix, mea cura, moraris,
 Teque huius capiunt taedia nulla soli?
Proripe te scopulis pontique minacibus undis,
 Et dubiam tuto in litore siste ratem:
Ignatî sedem domus hospita pandit amicam,
 Litoris et portus hic tibi certa fides ».

Sic ait, ille statim materna facessere iussa
    Gestit, et iniectae rumpere vincla morae.
Saepe pater lacrimans illum divertere coepto
    Est nisus, blando flectere et alloquio;
Saepe etiam torvis oculis atque ore minaci
    Terruit, indignis increpuitque modis.
Ast olli Virgo caelesti robore pectus
    Cinxerat, intrepidos addideratque animos.
Firmior ille manet, nulla patris arte movetur,
    Blanditiis vinci nescius atque minis:
Ceu rupes medio sese erigit ardua fluctu
    Ad caelum, atque altis figitur ima vadis,
Quam licet irati feriat saepe aequoris unda,
    Vnda procellosis concita flaminibus,
Non labat illa tamen, vasta sed mole resistens
    Insani furias despicit oceani.
Ecce adeo tandem duro certamine victor
    Adproperat patriis cedere liminibus:
Commoda iam, dulcesque lares, ipsumque relinquit,
    Quo res nulla potest carior esse, patrem:
Loiolidum et domus alma, tuum contingere limen
    Inque tuis ardet condere se latebris.
Fortunata domus! tali tu munere dives
    Omnigena poteris plaudere laetitia:
Eia fores iuveni properanti laeta reclude,
    Sanctaque odoratis limina sparge rosis.
Virgo tibi carum coluit caput, illa puelli
    Laudem servavit sedula virgineam;
Illa tuos cordi iuvenili afflavit amores,
    Certum et materna voce praeivit iter.

Adspice ut ipsa tuas iuvenem deducat ad aedes,
 Quam circum aligerûm laeta manus graditur.
Hic quam multa tibi dabit admiranda, vetustas
 Condere quae nunquam nocte silente queat!
Saepe ore ardentem credas lacrimasque cientem
 Caelicolum amplexu deliciisque frui:
Immeritis cernes laniantem terga flagellis,
 Dum multo interea sanguine tinget humum:
Cernes immemorem queis sit maioribus ortus
 Servili officio saepe adhibere manum.
At cum caelestis visurus gaudia Matris
 Stelliferi scandet lucida regna poli,
Parce o praereptum media lugere iuventa,
 Et fletus cineri munera ferre pio.
Ille sua seros cumulabit laude nepotes,
 Praesentem et votis experiere tuis.

XVIII

B. ALFONSVS RODERICIVS E SOC. IESV MATERNO DEIPARAE VIRGINIS AMORE RECREATVS

Sancte senex, dedimus cui serta recentibus aris,
 Pridem virtuti debita serta tuae,
Dona loqui liceat, queis castae mentis amores
 Diva tibi longum culta rependit hera.
Amplius haud animum urebant mortalia, vitam
 Cura erat in parvo condere posse lare.

Degebas rerum hic pauper, tibi parva supellex,
    Atque eadem nullis splendida munditiis:
Lapsa tamen Virgo solio stellantis olympi
    Visa est saepe tua ponere sede pedem.
Hic seu te manibus complexa foveret eburnis,
    Seu blando pectus pasceret alloquio,
O quoties animi tristes compescuit aestus,
    Sollicitoque omnem erasit amaritiem!
Deflua rugoso rorabat lacrima vultu,
    Manabatque tuis flamma reposta genis.
Dicere multa quidem ardebas, sed multa volenti
    Dicere, vox labiis deficiebat iners.
Quid miseras frustra insidias meditatur et artes
    Perdita ab infernis excita turba vadis?
Saepe illum visa intortis terrere colubris,
    Caedere et anguino verbere velle latus,
Saepe ad fumosas rictus obtrudere taedas,
    Atque gravem tetro fundere odore animam;
Saepe etiam horribiles forma atque insueta rudentes
    Turpia compedibus crura sonare suis.
Ite alio, pestes furiarum atraeque catervae,
    Et petite effusa stagna profunda fuga:
Ecce adstat Virgo strictis metuenda sagittis,
    Nostis enim quantum fulminet illa manus.
Dextra Virgo suum tegit ac tutatur amantem
    Assidua, vacuas et iubet ire minas.
Quin etiam fovet officiis blandissima, quantum
    Blanda parens nati non fovet ipsa caput.
Forte senex collem aestivo sub sole petebat,
    Arida cum medio ferveret axe dies;

Deque via languens, frustra tentabat anhelus
    Incoeptum tremulis vincere iter pedibus;
Ac tandem studioque viae lassatus et aestu
    Deposuit viridi languida membra solo.
Dum tenuem captat refovendis viribus auram,
    Matris et adsueta voce lacessit opem,
Mater adest, comisque annos miserata seniles
    Taedia blandiloquo protinus ore levat:
Nec dubitat largo frontem sudore madentem
    Molliter admoto tergere linteolo.
Gaudia quis memoret, queis tunc perfusa supernis
    Mens sese visa est condere deliciis?
Non tamen haec illis certent, quae mirus in ipsis
    Hospes libavit gaudia sideribus,
Cum mortalis adhuc Matris spectare triunphos,
    Caelicolum et potuit mixtus adesse choris.
O Mater, nostrae spes o dulcissima vitae,
    O mea lux oculis carior atque anima,
Mene frui tanta dulcedine posse, meosque
    Posse tuis oculos pascere luminibus?
Quid cupido tandem cupiendum denique restet,
    Quae vis tanta tuo distrahat a gremio?
Dixerat: hic solitos cum mens rediisset ad usus,
    Terrena indoluit vincla tulisse moram.

XIX

EVA LAMENTATVR DELICIARVM HORTVM A SE AMISSVM

Qualis maternis infelix exsul ab oris
Vitam agit in media tristis amaritie,
Cui patriae ante oculos dulcis versatur imago,
Et subeunt carae gaudia multa domus;
Illum amor absentem terrae natalis, et illum
Natorum ac tenerae coniugis urit amor;
Suspiransque onerat votis caelum, ut sibi rursus
Oscula det patriis figere liminibus:
Talis prima parens laetis ab sedibus exsul
Dicitur aerumnis indoluisse suis.
Flavis illa comis per tristia pectora passis,
Iugi et pallidulas uvida rore genas,
Ibat femineis incendens questibus auras,
Devia per montes, per nemora et siluas,
Felicesque plagas Eden revocabat, et arva
Amplius incesto non habitanda pede;
Hic ubi laeta quies et vita ignara malorum
Omnigenis animum vinxerat illecebris,
Ducere cum licuit secura per otia soles,
Et puros nulla nube tegente dies.
O quoties longo defessa errore viarum,
Paullatim et somno membra revincta levi,
Inter odoratos viridanti vertice lucos
Est sibi per notas visa redire vias,
Qua fontes vivi aeternoque virentia vere
Halant nativis roscida prata rosis.

Mox excussa diu graviusque dolebat, inani
Quod decepta foret credula mens specie.
Saepe sub umbrosa considens arbore, rivus
Qua pellucidulis rauca strepebat aquis,
In fletus abiens illam tepido imbre rigavit,
Huic auxit lymphas perdita de lacrimis.
Saepe etiam unde aciem in patrias protenderet oras,
Conscendit summi culmina celsa iugi.
Haesit et attonitae similis, similisque dolenti
Verba haec e tristi pectore dissoluit:
Siccine ego vestris divellor sedibus? ecquis
Me prohibet vestro vivere posse sinu?
O utinam venti ad vos mea vota referrent,
Si qua per has errat aura benigna plagas.
Felices campi fortunatique recessus,
Et formosa oculis arva beata meis,
Si nunquam vestris essem spatiata sub umbris,
Nunc miserae posset mitior esse dolor.
Frustra ego tranquillam speravi ducere vitam,
Et nunquam caro vellier hospitio;
In quo non ullo commixta dolore voluptas
Laxabat castis pectora deliciis.
Flores lucidulі haud alio sub sole nitentes,
O mea tum dulcis cura meusque labor,
Quos ego consueram liquido perfundere rore
Luxuriem et viridis fingere blanda comae;
O fons lympharum illimis, placidissima cuius
Saepe mihi vultus retulit unda meos;
Tuque adeo somno mihi mollior herbula, nostrum
Cum viridi exciperes molle latus gremio;

Tuque aura arguto lenis quae murmure amabas
    Et flores inter ludere et inter aquas;
Omnia sunt vobiscum una solatia nobis
    Rapta, nihil miseram nunc nisi luctus habet.
Hic ego quocumque adspicio, quocumque pererro,
    Sola meos oculos aspera saxa tenent:
Hic horret late infelicibus hispida dumis,
    Et riget informi squalida terra situ:
Quin etiam obscurus caligine cingitur aether,
    Tristitiaque angit me magis atque magis.
Antra heu quae nostras non audivere querelas,
    Quae nemora haud gravibus concita lacrimulis?
Et mea declives reddunt suspiria colles,
    Adgemit ipsa meis turtur amica malis.
Spes tamen una fovet, reficit spes una dolentem:
    Post tristes veniet nempe serena dies.

XX

AD PVEROS VT ANIMI RECREANDI ERGO SPECTENT LVDICRAS PVPAS

Quis furor est, pueri, dum bacchanalia fervent
    Tot nugas passim stultitiasque sequi?
Et spectare leves ubi personata cachinnos
    Futilibus gestit turba ciere modis?
Mentito hic gaudet spectantes fallere vultu,
    Rexque salutari qni modo servus erat.

Ille hominis ferme sortem indignatus, iniquum
    Se brutum simulans cornua utrinque gerit.
Sic vani studiis sectantes ludicra vanis,
    Se produnt sanae mentis habere nihil.
Nil rigido metuunt immissas frigore tusses,
    Morborum et tacite quod subit acre genus.
Heus procul hinc, pueri: potius succedite, quo vos
    Delectet risu spissa taberna levi.
Hic nempe in parvum sinuat se scena theatrum,
    Mobilis et miscet plurima pupa iocos.
Haec venit imposito longe spectanda cucullo,
    Et gibbi immenso tubere terga tument:
Altera, quae mento sese commendat adunco,
    Et veste et bracca versicolore placet:
Sunt aliae, quarum nec dicere nomina possum;
    Formaque dissimiles ingeniumque probat.
Quid? quod quaeque hominum simulans lepidissima gestus
    Scit docili veros reddere voce sonos?
Et pede nunc ducunt agiles plaudente choreas,
    Nunc dura impacto proelia fuste cient?
His ego, nam memini, puerili aetate trahebar,
    Haud inerat penito in pectore cura prior.
Ignaris quin saepe fuit dolus utilis annis,
    Vt vellem invisas discere litterulas,
Et Cicero haereret multusque in pollice Naso;
    Omnis et officii sedulus ipse forem.
At si spectaclo improbulus prohibebar amico,
    Quam gravis in meritum poena erat illa caput!
Profectura nihil iactans promissa, querelas
    Pergebam et largas fundere lacrimulas.

ODAE

I

NOMINIS IESV GLORIA

Delapse summis sideribus Puer,
Quem dia partu non humili Parens
Enixa reclinem locavit
Pumicis egelidae sub antro,
Tu non potenti sceptra geris manu
Timenda terris, tu solium aureo
Splendore non calcas, nec ignes
Temporibus rutilis coruscas:
Regnare late tu tamen inclito
Paras triumpho: occidet, occidet
Rex ater, oppressusque avernas
Clade tua repetet latebras.
Non ille posthac in nova proelia
Certabit audax tollere cornua,
Non ille restricta lacertos
Expediet domitos catena.
Servatus orbis, sol habitabiles
Qua lustrat oras, sub tua gestiet
Venire iura: ingens ratumque
Nam Genitor dedit ore fatum.
« Tuum feretur Nomen in ultimas
Sublime terras: en tibi trans vias
Solisque duraturum et anni
Imperium sine fine stabit ».

Promissa iam lux adproperat, tua
Qua laude crescens fama superbiat,
Levetque nomen clarum ad ortum
Solis ab hesperio cubili.
Rerum potentem te Tibris audiet
Iberque et Hister, te Tamesis celer
Ligerque et Euphrates, et arva
Qui tumido secat amne Nilus.
Tibi Gelonus serviet efferus
Adhuc cruentis caedibus, atque Arabs
Adsuetus imbelles quietis
Vsque dies agitare campis.
Pigri pruinis qua scythicis rigent
Geluque campi Sarmata te colet,
Indusque ubi exurens arenas
Sol radio ferit aestuosas.
Quod auspicatas litus inhospitum
Non ponet aras? quaeve recessibus
Abstrusa non discet profundis
Silva tuum resonare Nomen?
Hoc, belluosis oceanus fretis
Qua barbaras interfluit insulas,
Subduxit atque extremum in orbem
Se refugis America terris,
Enavigabit scilicet horridi
Per saevientes aequoris procellas,
Minasque ventorum et tumentes
Gurgite despiciet procellas.
Tum dissipatas litoribus vagis
Ferisque gentes moribus asperas

Clarabit auspex institutis
Mitibus et melior cultu :
Vt cum renascens protinus aequore
Lux imbre late depluit aureo,
Mersasque nigra nocte terras
Purpureo variat colore.

II

DIVINO PVERO ROSA HIEME ORTA

O decus veris, rosa, delicatum
Quae caput bruma impediente promis,
Arva dum late nivibus geluque
Hispida squalent;
Vngue demessam cupido haud profanum
Te sinum exornare putem decenter,
Sive lascivos redimire hiante
Fronde capillos.
I magis, Iesus ubi parvus antri
Abditis artus latebris reclinat,
Ito, et halantes pudibunda cunis
Funde colores.
Quid loquor? non haec sibi poscit Infans,
Cui torum sternunt paleae rigentem,
Stramina is ducit mage grata molli
Flore rosarum.

III

IESV CHRISTI ANASTASIS

Vicit, et e tenebris sese redivivus in auràs
Extulit aethereas
Regnator Ductorque hominum, quem funere diro
Perdiderat Solime,
Infelix Solime! non ulla clade piandum
Ausa movere nefas.
Vicit, et insuetum spectans natura triumphum
Protinus obstupuit.
Tunc valles concussae imae silvaeque supinis
Exsiluere iugis:
Immensumque polo liquidumque per aera visum
Emicuisse iubar;
Crederet ut solem ferventes axe profundo
Deproperasse rotas,
Luteolo caelum quae vix dum coeperat eos
Spargere prima croco.
Deiectum videas, effultam qui lapis urnam
Obiice munierat:
Aethereique duo nivea cum veste ministri
Adstiterunt tumulo,
Testantes victa reducem de morte, sepulcrum
Quem modo texit iners.
Vos, queis ex illo vitae praecepta beatae
Contigit excipere,
Vos agedum extremas Victoris nomen in oras
Ferte Ducisque decus,

Et qua bacchantes violentia solis arenas
Findit hiulca graves,
Quaque pigris horrens nebulis urgetur iniquo
Hispida terra situ.
At gentes, utcumque colant vel regna remotis
Abdita litoribus,
Magnarum discent laudum praeconia pronis
Auribus attonitae:
Oppressas erebi fraudes, de morte relatas
Magnifice exsuvias,
Et patefacta iterum stellantia limina olympi,
Quo via certa ferat.
Tunc illae sese, lux tanta ubi fulserit, ultro
In nova iura dabunt:
Quas uni addicet Regi sanctissima casto
Foedere religio.
Nempe, tuis modo quod superest iam laudibus, orbem,
Maxime Victor, habe.

IV

IESVS CHRISTVS REDIVIVVS DE SEDIBVS INFERIS TRIVMPHVM GERIT

At furere ut tentes etiam et conere superbas
Iactare nequidquam minas,
Qui colis infernas, rex importune, tenebras
Et criminum horrentes lacus?
Iam satis arbitrio licuit versare per orbem
Cuncta impotenter effero,

Et trahere indignae mortales impia pessum
In servitutis funera.
Plaudebas tibi vel superis stulta arma paratus
Inferre, credo, sedibus,
Horrifica ut posses subducere fulmina, dextra
Quae tractat ardens Numinis.
Attamen immanis tandem tumor ille residat:
Sors aequa mutavit vices.
Quem furiis instincta tuis facibusque nefandis
Infixit atra in arbore,
Innocuum et multo mactavit vulnere plebes
Diro illigata crimine,
Supremam quamvis animam profuderit, omnis
Non ille victus occidit.
Quin etiam summa fretus virtute resolvit
Nigri tenebras funeris,
Seque triumphali redimitum tempora lauro
Sublimis ultor extulit.
Dein te confestim grassatus clade tuosque
Fastus, tyranne, contudit.
Commotae sedes erebi sonuere, timendus
Cum victor haesit limine,
Idem et vincla tuis numquam solvenda, protervis
Iniecit arcta brachiis;
Quaque fores horrendo aditu patuere, reducta
Munivit infernas sera.
Nunc licet affectes, hostis male perdite, regnum
Nullis coactum finibus.
I nunc, afflictusque iacens conscendere vasto
Molire nisu sidera.

V

SANCTVS IGNATIVS LOIOLAEVS PROPAGATOR CHRISTIANI NOMINIS

Ecquid moramur longius? obviam
Quamcumque primo in littore perlubet
Inire navem, sive velis
Seu rapido secet aequor igni,
Eamus: ultra paene pudet tuis,
Europa, segnes degere in urbibus;
Invitat audentes repostis
Nos Asia atque America terris.
Illic secundis ampla laboribus
Merces paratur: hac iter arduam
Ignatius laudem daturum
In dociles reseravit ausus,
Ex quo per undas puppibus asperas
Caelo obsecutum Xaveridem auspici
Adire iussit, aestuosas
Quas sitiens tenet Indus oras.
Iam tum invidenda Loiolidum manus
Virtute fortis crevit, et ultimas
Lustrare connitens arenas
Messuit haud humili virentes
Sudore palmas. Quod mare fervidum
Tardaret acres scilicet impetus?
Quae vis pericli? quae cruentis
Barbaries metuenda terris?

Impura foedis religionibus
  Delubra vasto pondere corruunt;
    Feruntque supremam deorum
      Sparsa solo simulacra cladem.
Errore deductae impia ritibus
  Gentes nefandis dogmata deserunt,
    Doctrina et imbutae salubri
      Rite pium subeunt lavacrum.
Vbique in imis sensibus insitam
  Devicta ponunt corda ferociam,
    Vbique virtutum caterva
      Compositos regit alma mores.
Inde usque cunctas aurea faustitas
  Pervasit oras, visit et insulas
    Inhospitales quas furenti
      Oceanus premit ater unda,
Hoc iure totum praeniteat tuis,
  Loiola, factis, exiguo coli
    Cui visus olim est fine, Christi
      Imperio adiiciendus orbis.

VI

SANCTVS IGNATIVS MAXIMAM E SVIS REBVS GESTIS GLORIAM ASSECVTVS

Non parca summus praemia dividit
  Pater recepto munere providus,
    Si quis scit uti auctumque donum
      Sub memori refovere mente.
Spirare laudem Numinis unicam
  Loiola quondam est visus, et acriter
    Vnum illud eniti per omnes
      Pectore magnanimo labores.
Nunc ille serto haud deciduo merens
  Nectit receptus sideribus caput,
    Lateque terrarum per oras
      Laude recens sonat usque nomen,
Quod robur olim militiae sacris
  Instruxit armis, proelia conserit
    Victoriis felix, ducique
      Arrogat emeritos honores.
Illa institutum difficili via
  Iter recurrens, quidlibet arduum
    Audere consuevit, nec orsa
      Aspera deseruisse, donec
Prosper resolvat taedia terminus,
  Sive insolentes contudit impetus
    Noxae, vel errorem dolosis
      Implicitum tenebris resolvit,

Moresque in aevum reddidit aureum;
Vbique cultus Numinis impigra
Augere, seu coeptum secundet
Seu celeres inimica pennas
Fortuna vertat. Quae fera nominis
Ignara gens est Loiolidum? rate
Qua saevit intactus proterva
Oceanus, vel inhospitalis
Quae terra vestro sanguine non rubet?
Quod non stupescit litus, et arduam
Mentem aestuosis in procellis
Non vocat impavidumque pectus?
Sed fessa longo denique turbine
Telisque victum iam gravibus latus
Demisit in terram caterva
Ipsa sua revoluta sorte.
Heu victa cessit, sed generosior
Presso resurgens pulvere constitit.
Ceu si per extremas volantum
Dux avium revoluta nubes,
Euri protervo concidit impetu;
Sed mox resumptis viribus acrior
Assurgit in pugnam, polumque
Praepetibus secat alta pennis.

VII

S. ALOISIVS
MIRAE PVDICITIAE EXEMPLVM

Vidi columbam considentem devio
    In fontis imi margine,
Quae gestiebat vitreis liquoribus
    Infusa saepe candidas
Lavisse pennas, seque formae sedulam
    Spectabat adverso in lacu.
Vidi supino montis in clivo obsitam
    Candore non tacto nivem,
Quam depluentem nulla vis rapacior
    Excussit atri turbinis,
Impressa nec persultarunt vestigia
    Vsquam pererrantis ferae.
Vidi decorum pulcre tollens verticem
    Secreto in horto lilium:
Mulcebat aura frondes leni sibilo
    Praedari odores appetens,
Ac turba florum proxime virentium
    Nitore gaudebat novo.
Verum iocosae quae ludunt imagines,
    Mentemque delectant vagam?
Non usitatis fervidus decreveram
    Efferre Gonzagam modis,
Qui flore vernans primae aetatis integro
    Sic usque vixit puriter,

Sincerum ut ille pectus haud levissima
Sit labe passus infici.
Candoris ergo laude mirandus sui
Plane enitescit insolens,
Vltroque sese eidem conferri negant
Columba, nix, et lilium.

VIII

S. ALOISIVS
ASPERIORIS VITAE SECTATOR

Pone modum, Gonzaga, tuis cruciatibus; omnis
Elanguit flos ille juventae,
Infecitque genas macies indigna decentes,
Et graciles artus tenuavit,
Dum saevis in te nimium crudelis et aevo
Immerito nil parcere curas.
Supplicii nam quale genus poenaeve cruentae est,
Quod non arripiat puer ultro?
Strata illi frustra alliciant mollissima somnum,
Cum nox sidereo ruit axe;
Callidus assiculis quippe asperat interiectis,
Lina tegunt quas tenuia, plumas.
Frustra suppeditent lautis convivia mensis
Secundos exstructa sapores;
Namque cibi et caussans potus fastidia, parco
Producit ieiunia victu.

An memorem docilem ut dextram implacabilis ausit
Vulnificis armare flagellis?
Vtque instet vexare atrox insontia membra,
Donec multo verbere victus
Concidat exanimis; velut olim molle papaver
Grandinis heu quod contudit imber
Illisitque solo? Suspirans mater oborto
Affata est natum anxia fletu
Saepe suum: « Curnam tantis tua corpora poenis
Excrucias? nullusne laborum
Finis erit, tibi quos hostis subis? heu nimis isti
Praemetuo bene sedula vitae,
Quam tibi, nate, dedi; tu vero sanguine large
Effuso sic deteris. Atqui
Cura tui si nulla tenet, miserere parentis,
Quam torques male durus amantem ».
His dictis Lodoix suffunditur ora rubore:
At sibi non clementior usquam est.

IX

S. ALOISIVS
IVSSVS A REBVS CAELESTIBVS
MENTEM AVERTERE

Qualis fixa levi damula spiculo
Nunc nigris latebras tuta recessibus
Natalis siluae, nunc vaga devii
Cursu saxa petit iugi;

At seu prata novo mollia gramine,
Seu quaerat viridi fronde sonans nemus,
Seu ripas patrii fluminis, ah! suo
Ictum vulnere fert latus:
Sic te, Loisides, perpetuo premit
Defixum penito vulnus hians sinu,
Arcu quem roseo dius amor novo
Telis edomuit suis.
Hinc ductus trepido pectore spiritus,
Humorque uvidulas defluus in genas,
Hinc pallor violae languidus, et levi
Exsuccus macie color.
Ne totus pereas, te gravis implicat
Nodus sollicitum scilicet imperî,
Et dure prohibet fraena remittere
Sanctis libera amoribus.
Sed nisu interea pronus inutili
Id certare paras: te redit inscio
Ad curas solitas mens vaga, et edere
Questus cogeris anxios:
« Nam quae me cohibent iussa tenacibus
Vinclis? ut studeam strenuus obsequi,
Vllam ferre animus denegat impotens
Talis discidii vicem.
Imis tute mihi sensibus insides,
Torques arbitrio qui docilem tuo;
Et quo verto oculos cumque, rapis statim
Blandis illiciis tuum.
Tellurem adspiciam? te mare, te lacus,
Te laetae segetes, te nemorum comae,

Te picti nitidis floribus hortuli,
Te fons deciduus refert.
Caelum suspiciam? te tacitas cient
Per noctis tenebras sidereae faces,
Te sol, seu redeat seu rutilus lavet
Devexo oceano rotas.
Quin aut sola vager per loca devius,
Aut callem resonet qui strepitu seqnar,
Tu mecum graderis, tu lateri comes
Haeres assiduus meo.
Quid tandem faciam? dum trahis, insequor;
Dum sector, removes: hinc amor, hinc fuga
Vrgent ancipitem, nec bene pectori
Certum consilium sedet.
Invitum retinent iam nimium diu
Sedes terrigenum: praepetibus lubet
Pennis caelicolum visere limina
Vt me solus amor beet ».

X

S. ALOISIVS MORIENS

« Ecquid in terris retinet morantem
Longius? cur non licet his solutum
Exui vinclis animum ut beatis,
Sistar in oris?
Saepe sic dixi tacitus, diuque
Supplici sortem dolui negatam :

Iam meas prona superi audierunt
Aure querelas.
Nuntium oh faustum! mihi quod supremam
Admonet lucem trepidare: ut adsit
Funeris praesens, aderit volenti
Serior hora.
Ibimus laeti: mihi casta divûm
Se domus pandit: rutilas inire
Gestio sedes, novus hospes aureis
Additus astris ».
Sic ubi effatus Lodoix, madentes
Vvidis guttis oculos sereno
Figit in caelo cupidus, morasque
Vrget inertes.
Interim parvo morientis adstat
Fusa virtutum pia turba lecto,
Et novo lucis-rutilantis auro
Fulgurat aedes.
Heic fides primum properam sororum
Anteit turbam, tenuique frontem
Splendido puris radiis coruscam
Velat amictu.
Huic levi nixus puer in iuventa
Lubricas fraudum illecebras dolosque
Tutus effugit Lodoix, virenti in-
noxius aevo.
Tum sequax vultu roseo renidens
Emicat pulcrum integritas: nivali
Gaudet haec palla, et speciosa stringit
Lilia dextra.

Insolens illi comes ire tendit
Hispidus cultu rigor ; is genarum
Arida pallet macie, et reducta
Asperat ora.
Hic tenax recti pudor; hic supernas
Ventilans acres amor usque taedas;
Quaeque amat felix socio catervas
Foedere iungi.
Roridam frontem iuveni haec amictu
Diva detergit, canit illa voce
Tinnula carmen, sociatque cantum
Callida nervis.
Pars torum incumbens studiosa in imum,
Nexili molles ligat orbe flores,
Lene quos spirans aluit beatis
Aura viretis.
Hinc tibi intexto redimire serto
Certat auratos, Lodoix, capillos:
Tuque adis casto aethereas solutus
Corpore sedes.

XI

S. ALOISIVS AD CAELVM ASCENDIT

Terrena linquo. Me rapit impetu
Non usitato per liquidum aera
Immissus ardor, detinetque
Attonitum nova pompa visu.

Rerum ne falsa ludor imagine?
Tu victor oras ad superas abis,
Gonzaga, devectus sonante
Caeruleum per inane curru.
Blandum et renidens luminibus iubar
Micat serenis; fulgurat ignibus
Frons laeta, et aeternum coercet
Purpureos diadema crines.
Pendet smaragdis nexilibus teres
Demissa collo torquis, et aureo
Decenter ornatu refulgens
Palla levi sinuatur aura.
Lucem coruscant nubila depluam,
Quae se citatis agglomerant rotis;
Longoque post tractu videntur
Aetherei rutilare calles.
Festiva nectunt agmina desuper
Infraque gyros, pars caput exserunt
Pennasque nimbo, pars laborant
Luteolas equitare nubes.
Hic sceptra praefert gemmea, libero
Quae sprevit ausu magnanimus puer;
Ast ille regalem supinis
Gestat ovans manibus coronam.
Ostentat alter candida ludicrus
Intaminatis lilia frondibus:
Hic iactat exsultim flagellum
Innocuo madidum cruore.
Claras olympo laeta cohors vias
Ningit rosarum floribus et croco;

Densatur hic cantum ad sonoros
Turba sequax modulata nervos.
Auditis? oh quae praetereuntium,
Io triumphe! carmina consonant;
Io triumphe! arces iocoso
Sidereae geminant repulsu.
Hinc astra festis concita plausibus
Orbem rotantes in thiasos agunt,
Et clarus insuetum micantes
Sol nitido vibrat ore flammas.
Et iam reclusis postibus aurea
Late patescunt caelicolum atria,
Et limen optatum beatae
Loisides subit hospes aulae.
Nunc ergo caelo te decus additum
Castis colemus semper honoribus;
Et ture devoto piandas
Rite tibi statuemus aras.

XII

SANCTO ALOISIO
PATRONO CAELESTI IVVENTVTIS

Gonzaga praestans o decus clientibus
Tutelaque et salus date,
Mollem iuventam conspicis periculis
Heu quot laboret undique?
Quassata tempestatibus velut ratis
Fit naufrago iocus mari;

Ac nuda remis funibusque et anchoris
Rectoris et boni manu,
Ludibrium debet notis minacibus,
Durare nec valet freta:
Sic et tueri dum integrae studet decus
Vitae iuventa, fraudibus
Obiecta pravis evagatur insolens,
Et certa nil satis cavet
Qua mentis aut vi consilî pericula
Et damna vitet aspera.
Suadente nullo, in crimen et nefas pede
Defertur acta lubrico;
Natura quando sensibus nocentia
Insevit ultro semina,
Quae dira gliscunt atque non domabili
Cladem minantur impetu.
Florentem at aetatem artibus premit suis
Heu peior hostium cohors,
Mentita amores fraudulenta perfidos.
En error anteit levis:
Virtutis ora et nomen hic adulterat,
Culpisque miscet improbus.
Quicum it voluptas, quae iocosa lusibus
Septa et cupidinum agmine
Lascivit audax, perque amoena mollium
Invitat ire graminum.
Hinc tollit altum verticem protervitas
Gressu soluta libero;
Stultumque iactat gaudium, quod aurei
Frenum refringit imperî:

Cui blandiuntur fervidae licentia
Perquam mala libidines.
Aevi quis istis obsidentibus dolis
Annos virentis eruat?
Ecquis iuventam curet, ecquis excolat,
Divûmque protegat bonus?
Instabilem firma atque mobilem ingeni,
Gonzaga, nam vales ope:
Tu numine incautam regas tuo, arduum
Virtutis ut iugum petat.
Larga merenti dona sic ferat manu
Arasque ture compleat
Tutam et senectam grata debeat tibi,
Quae nunc iuventa supplicat.

XIII

FLORES CITO MORIVNTVR

Divites pictis foliis renident
Flosculi dono charitum, iocoso
Cum sinum pandunt zephyro et decenter
Arva colorant.
At vices aevo fugiente mutant:
Protinus carpit brevis hora florem,
Quo sibi vellet redimire crines
Blanda voluptas.
Quid suae frustra rosa delicatum
Purpurae iactat decus; atque plebem

Ceteram florum tumet arrogante
Spernere fastu?
Illa florenti sociata ramo
Inchoans rubros aperire honores,
Atque lascivam recreare odoris
Frondibus auram,
Gratiis dudum meditatur audax
Texere insertas apio coronas,
Divitum et luxu cupit invidendo
Spargere mensas.
Heu nimis vana specie superbit!
Adspicit quam sol oriens hiantem,
Occidens pronam videt immerentes
Ponere frondes.
Splendidum rerum tenuare vultum
Fata vi certant avida impotenti:
Optima ignaris bona quaeque nobis
Invidet aetas.
Ergo cur fucata oculos decoris
Decipi forma patimur? quid aegras
Allicit mentes, animosque mendax
Fallit imago?
Heu tuis frustra illecebris, iuventus,
Credis imprudens: caput impedita
Flore quid gaudes pede dissoluto
Pellere terram?
Antequam laetum tenuetur aevum,
Asperum discas metuisse fatum,
Iam satis docta arbitrio potentis
Floris iniquo.

—

GLYCONICI

I

NOMEN IESV AMABILE

Iesu reddere amabile
Nomen haec bona lux avet:
Ecquid mi tacito insides
Dudum segnis amor sinu?
Gratum suggere cantum.
Isto Nomine nil magis
Mentem percupidam beat,
Quamdiu peregre exsules
Pervagam a patriis procul
Vitam degimus astris.
Hoc vivam subicit facem,
Qua praecordia deflagrent;
Iniecta in stipulam levem
Vt scintillula protinus
Acres excitat ignes:
Hoc et prolicit uvidas,
Turpem quae maculam eluant,
Corde lacrimulas, licet
Eduris rigeat silex
Circa pectora venis.
Quid praesentius asperis
Rebus auxilium ferat?
Vel quid vota potentius
Comprobet rata supplicum
Exituque secundet?

Iucundum auribus insonat,
    Linguae dulciferum sapit:
    Illi cedere voculae
    Dicam blandisonae melos,
    Illi cedere nectar.
Nomen hoc mi animum levat,
    Sive tristitia obserit
    Atra amaritie sinum,
    Seu forte exedit intimas
    Aegra cura medullas;
Alba parthenice velut
    Sive flos hyacinthinus
    In ditis domini hortulo
    Languet, cum sitiens agros
    Solis aestus hiulcat;
Verum roscida caespitem
    Si lympha irriget aridum,
    Ramos continuo erigit
    Belle floridulos, novo
    Et renidet honore.
Nomen hoc reficit novas
    Vires languidulo, aut opus
    Membra valdius atterat,
    Sive concidat a gravi
    Mens defessa labore:
Sic arbos oleae virens
    Campi margine in ultimo
    Vmbram pulcriter explicat,
    Sub qua lassula lassulus
    Ponit membra viator;

Sic pellucidulus cavis
Saxis rivulus exsilit,
Quo praetergrediens manus
Atque arentia proluit
Siccus ora viator.
Tune me iaculo petas
Molitus stygium dolum,
Hostis improbe, fervido?
Nequaquam timidum occupas
Tuis icere telis.
Securus clypeo, inclitum
Nomen qui gerat, irritos
Ictus excutiam tuos;
Tuque lividus evomes
Virus ore cruentum.
Hoc Nomen pius invoco
Cum sol prosilit aureus,
Cum fervet medio igneus
Die, cum rosea cadens
Nubes luce colorat.
Ah illud cupido mihi
Contingat volo: primula
Aetate ut nihil antea,
Quam balbo didicit sono
Lingua reddere Iesum;
Sic et pallidulis vocet
Iesum spiritus e labris
Extremo fugiens sono,
Quando advenerit heu! nigri
Sera funeris hora.

Tum si ut depereo, inferam
Olympi foribus pedem,
Insertus superûm choris
Vsque dulcisono canam
Vnum carmine Iesum.

II

IN MARIAM VIRGINEM IOSEPHO SANCTO NVBENTEM

Linque caelicolum domos
Astra qui colis aurea,
Huc, Amor, celer adveni, et
Vincla coniugii ferens
Splendidam quate taedam.
Ipsa Virginitas pedem
Candidum huc feret insolens,
Namque se parat auspice
Rite dicere nuptiis
Casta foedera castis.
Ecce iessiadi Viro,
Miscet ut rosa lilio
Purpuram niveo suam,
Alma iessiades bono
Nubit omine Virgo.
Huc age huc, Amor, adveni:
Tureis pia largiter
Ara fumat odoribus:

Nec te, Virgo, decet moras
Nuptam nectere tardas.
Cur genas pudor inficit?
Cur metum geris anxium,
Ne pudicitiae tuum,
Quod colis decus, integro
Vsque vernet honore?
Nuper auspicio Deus
Annuit tibi dextero,
Sponsi ut arida ramulis
Virga sponte virentibus
Coepit edere frondes.
Vitis ut tereti implicans
Lenta brachia populo,
Reddit officii vicem
Pampino, neque fructuum
Vlla commoda praestat:
Sic puta iuveni Viro
Tradier, bona: mutuas
Ambo iungite dexteras:
Nexibus penitis Amor
Fida pectora iunget.
Annulum inserite invicem,
Qui levi digito micet
Castae amicitiae memor:
Nexibus penitis Amor
Fida pectora iunget.
Fallor? Anne adytis latens
Ara fulsit ab intimis?
Luxque desuper e tholo

Emicans rutili in modum
Fusa depluit imbris?
Per iubar medium, viden?
It reditque Amor igneam
Valdius quatiens facem:
Deinde praescia tinnula
Fata voce resolvit:
« Virgo, quae modo candido
Aucta coniugio es, decus
Vsque pura tuum feres:
Ecqua se tibi virginum
Compararier ausit?
Virgo, tu niteas licet
Vsque pura, tamen decus
Matris ipsa eadem feres:
Ecqua se tibi conferat
Toto in agmine matrum?
Nam geris Sobolem tuo
Integro aethereum sinu,
Roris ut gremio accipit
Decidentis ab aethere
Concha lucida guttam.
Dius uberibus Puer
Gestiet tibi pendulus;
Collum et ingenuum alligans
Brachio facili, in genis
Pressa basia figet.
Ille saepe rapi adnuet
Ab tuo cupidus Viro;
Saepe blanditias manu

Ingeret nivea, et patrem
Saepe nomine dicet.
Crescat, atque hominum gravi
Labe res male perditas
Reddat unus in integrum.
Mente tu memori haec mea
Dicta conde, Puella:
Cum tuo volo Coniuge
Tanta gaudia misceas,
Maximum ut sibi sentiat
Munus a superis datum
Additus tibi Custos ».

III

QVESTVS MARIAE MAGDALENAE PROPE SEPVLCRVM IESV CHRISTI

Vt per frondiferum nemus
Nunc carmen querulum integrat,
Nunc nidum advolitans petit
Avium, viduus suo
Olim compare turtur:
Sic incendere luctibus
Coepit Magdalis aera,
Cum Iesu exanimum sui

Eheu nescia credidit
Vrna corpus ademptum.
Pectore uritur intimo,
Carum nomen et invocat:
Tum subit tumulum anxia,
Et totum cupido hinc et hinc
Saepe lumine lustrat.
Verum nil ubi proficit
Quaerens, dilaniat comam,
Et genas ferit unguibus :
Hinc fletu uvida constitit
Desertum prope saxum,
« Ergo, me miseram! inquiens,
Subductum his oculis querar
Corpus exanimum tui,
Quem funestus ademerat
Diro funere truncus?
Oh quantus penite dolor
Mi praecordia distulit,
Dum totus lacer artubus
Reddebas animam gravis
Illo stipite fixus!
Nunc quis depositum hinc manu
Corpus abstulit impia?
Tu, cui condere contigit,
Illud e gelido sinu
Poscenti refer, urna.
Vos edicite, floridos
Hoc quae pulcriter hortulo
Ramos funditis, arbores,

Tuque desiliens vago
Fons pellucide rivo,
Ecquis abstulit hinc? precor
Moestae dicite. Sed silent
Late cuncta; iterat meos
Ludicro gemitus sono
Tantum flebilis echo:
Et Iesu memorat levis
Vt vox blandiloquum sonans
Meme surripuit mihi,
Cum dulcissima ab auribus
Pectus fluxit in imum.
Hinc tot implicuit novis
Corda mollia nexibus,
Quot numquam implicuit prius
Qui me stultus amor fera
Caecam lege revinxit.
At nunc quo dubios feram
Gressus? quis cupidae mihi
Corpus indicet, ut queam
Totum fundere debitae
Grato munere myrrhae?
Quin meis super irrigem
Maestis sedula lacrimis,
Affusa et pedibus diu
Pergam haerentia figere
Presso basia labro.
Hic perstare tamen lubet,
Et durare vicem asperam,
Si me forte reviserit

Aequa sors mage, credulam
Nec spe fallet inani.
Testes flenti eritis, sitae
Hoc quae pulcriter hortulo
Ramos funditis, arbores,
Tuque desiliens vago
Fons pellucide rivo.
Et cum noctivagas faces
Caelo accenderit hesperus,
Et cum retulerit novam
Aurora exsiliens mari
Terris candida solem,
Affixa hic sedeam, irrito
Imbre tristia deterens
Lumina assidue, quibus
Postquam lux periit mea
Nulla gaudia restant ».
Sic fata, in tumulum anxia
Pronum deposuit caput,
Singultusque magis ciens
Laxe libera dedidit
Multo frena dolori.
Verum pone modum tuis
Moesta o Magdali, lacrimis:
Quem revisere discupis,
In vitam tacitas redux
Mortis dispulit umbras.
Ille iam tibi primitus
Sese ultro dabit obvium:
Tunc moeroris acerbitas

Cedet protinus, occupet
Mentem ut sola voluptas.

IV

SANCTO ALOISIO PATRONO CAELESTI
AGMEN PVERORVM

Itis? en via myrteis
Ridet consita ramulis:
Nec frustra puerûm nitet
Agmen, et nitidis comis
Suaves iactitat auras.
Heus ite, o pueri integri,
Decente ordine pergite:
At vultu atque oculis boni
Vestrum Loisidem, precor,
Patronumque referte.
Interim canite in modum
Festum, nec liceat diem
Praeterire silentio:
Eia carmina promite
Docto condita vate.
Eia concinite in modum:
Argutos alii, graves
Concinant alii modos:
At, quaeso, docilis suo
Canat quisque magistro.
« Gonzagae sumus in fide,
O boni o pueri integri:

Gonzagam, pueri integri,
Laeto carmine tinnula
Cuncti et voce canamus.
Io nobile lubricae
Aetatis Lodoix decus,
Quem colet superûm magis
Iuventus, meritos magis
Cui prestabit honores?
Vt flores vitreus liquor,
Et flores ut apes iuvant;
Sic nos, o Lodoix, tua
Sic virtus teneram iuvat
Ac tutela iuventam.
Tibi lilia candido
Et colore tibi placent
Tinctae sanguineo rosae:
Nos ligustra tibi et rosas
Nunc, o sancte, feremus.
Sic nostram, Lodoix, Dei
Mentem amore revincias;
Sic o candidulam bene
Nobis puriter adnuas
Posse degere vitam ».
Alterno haec modulamine
Reddite, o pueri integri:
Inde pergite fervida
Ad aras humiles prece
Exorare patronum.

V

VALE

Auris mite salubribus [1]
Terraque ubere fertili
Solum, quod placido rigat
Pinguis amne Garumna,
Vale : nos profugi sinu
Dudum viximus in tuo,
At nunc visere patrias
Rursus tendimus oras.
Vale : iugiter insita
Ista gratia pectori
Haerebit memori, die
Nec intercidet ulla.
Verum quae mihi sensibus
Cura gliscit in intimis?
Cur istud trepido sonat
Invitum vale labro?
Cur iners alacres pedes
Retentat mora? cur gravis
Huius discidii vices
Mens ferre abnuit impar?
O dulce hospitium, o lares
Casti, quos cupide beant
Virtus, officium, fides,
Et vinclis amor aureis:

[1] Conscriptum cum scholastici Soc. Iesu Tolosa Romam, compositis iam rebus publicis, redierunt anno MDCCCL.

Sic nos innumeris diu
Auxistis hilares bonis,
Iure moeror ut occupet
Hinc abire parantes;
Vt sequax hedera e sua
Si decerpitur arbore
Cui sese implicuit, nigris
Languet prona corymbis.
Euntes tamen, ut iubet
Sors laeva, haec pia limina
Osculabimur uvida
Forte non sine gutta.
Ingressique gradu viam
Lento, saepe oculis retro
Conversis iterabimus,
O dulcis vale sedes.
O vale et valeant boni
Tecum perpetuum hospites,
Qui nos comiter in tuo
Servavere recessu,
Eo carius asperae
Quo mage obruerant vices.
Nulli par pretio datum
Duro in tempore munus.

VI

AGMEN PVERORVM FLORES LEGENTIVM

Cum ver floricomis nitidum caput extulit arvis,
Et nemora incipiunt umbras densare, novaeque
Spem rura ostentant late viridantia frugis;
Ecquis non vanae fumum fastidiat urbis,
Camporumque optet laetos habitare recessus?
O qui me sistat qua frondens Algidus exstat,
Aut qua frigidulas iucundum porrigit umbras
Tibur, riparumque toros lymphasque sonantes?
Hinc libeat silvas inter reptare salubres,
Et rupes spectare altas, et visere saltus,
Prata, lacus liquidos, labentia flumina, fontes
Ingenuos, saxa et molli circumlita musco.
Interea vernos puerorum turba per agros
Discurrit passim flores studiosa legendi:
Dumque opere in medio fervet, sua carmina cantat.

Qui gestit pede libero
Festo ludere cum ioco,
Huc huc ocius advolet,
Qua late viridans humus
Dulci spirat odore.

Ohe quid mage ludicrum,
Quam per prata recentia,
Aureo sol ubi candidum
Profert oceano diem,
Castos ducere lusus!

Nemo cesset iners; levi
Flores pollice carpite.

Pulcro vere benignius
Molles fundit opes solum:
Laxos linteoli sinus
Implere et calathos iuvet
Pulcro munere veris.
Nemo cesset iners; levi
Flores pollice carpite.

Heu heu flamine ventulus
Mi flores male disiicit;
Aurae ludibrium volant
Huc illuc, velut area
Prensus culmus inani.

Quin scita potius manu
Serta inteximus? enitens
Qui sertum bene finxerit,
Mercedem meritam auferet,
Cingens tempora serto.
Nemo cesset iners; levi
Flores pollice carpite.

Huc o ferte aditum, vago
Qua rivus pede perstrepit;
Florum hic copia largior,
Hic et roscida plurimo
Ridet terra colore.

Parvae ut floribus obsitum
Occultant violae caput!
Nondum at puniceae rosae,
Hem ne tangite, vividos

Curant pandere honores!
Nemo cesset iners; levi
Flores pollice carpite.
Gratum cingite amaracum.
Quid proni adspicitis? niger
Grillus scilicet exsilit,
Qui vernantia personat
Longo gramina cantu.
Nemo cesset iners; levi
Flores pollice carpite.
Ille ut mobilibus, viden?
Ramis caespes inhorruit!
Festinate fugam citi:
Tergum lividus uvida
Serpens delitet herba.
Festinate: satis levi
Flores pollice carpsimus.
Sic agmen puerile canit, vocesque remittit
Rupe sub adversa captatrix carminis echo. [1]

---

[1] Confer suavissimum carmen italicum Ugolini di Azzo *Le raccoglitrici dei fiori*, apud Perticari *Dif. di Dante c.* 27.

IAMBICI

I

NOMEN IESV NOVVM

Volo volo Puelluli,
Quem Virgo nuper hospita
Sub rupe Bethles edidit
Pulcherrimum pulcherrima,
Lepidis adusqne sidera
Vocare Nomen versibus.
Haud Nomen hoc innotuit,
O clare Iessides, tibi,
Dum plenus olim numine
Ventura fata redderes;
Quem concinentem turgidus
Iordanis audiit, citi
Lapsum moratus fluminis.
Innotuit non hoc tibi,
Qui nuntiasti praescius
Floris virescentis decus,
Quem germinans emitteret
Iessaea Virga stipite.
Non ceteris hoc vatibus
Innotuit, qui saeculo
Secunda pacis aureae
Lapso dederunt omina,

Cum dia Proles lucidis
Poli veniret sedibus.
Sed aliger, faustissimo
Qui nasciturum nuntio
Magnum Puellum detulit,
Ab axe Nomen detulit.
Illo secante nubium
Tractus profundos, ignibus
Fulsere laetis sidera:
Iesum et supernae primitus
Valles sonare et ardua
Audita montium iuga.
Salve, o Puelle! fers tuo
Quam tu salutem Nomine,
Praestabis idem: languidos
Nam servitutis asperae
Populos catenis eximes.
Salve, o Puelle! gentium
Adsuesce votis supplicum,
Quando tuo nil Nomine
Aut maius aut iucundius
Servatus orbis audiet.
Cur incliti sese mihi
Heroes efferunt? Novus
Vt occulit sol sidera
Splendoris explicans iubar,
Sic Nomen hoc Puelluli
Caelestis heroum omnia
Nigris tenebris occulet
Quae sunt eruntque nomina.

II

IN VIRGINEM NASCENTEM

Io! vocata longis
Mortalium usque votis
Inivit alma lucem
Hanc primulum Puella.
Io! colores explicat
Aurora pulcra amabiles,
Quae pulcriorem candido
Solem afferet dium sinu.
Videtis in labellis
Puellulae ut decorus
Renideat levesque
Risus serenet auras?
Atque ut beatis insidens
Festive ocellis torqueat
Amor sagittas, intimo
Quae corda tangant vulnere?
Iocetur ut venustas
Per colla perque frontem,
Per et rosas genarum,
Perque aureos capillos?
Ergo alitum frequens cohors
Circum supraque convolans
Miratur, ardet, exsilit,
Et mille lusus implicat.
Coniuncta utraque palma
Hic adspicit Puellam:

Hic osculum dat imo
Pedi, sibique plaudit :
Cunas at ille argenteis
Fundit pudicas liliis:
Hic flosculum pronus rapit
Et laetus in caelum redit:
Summum ad lacunar alter
Supinus ora versus
Mariae micante nomen
Pulcre colorat auro.
Tum lapsa summo ab aethere
Sertis revincta candidis
Et purior pura nive,
Dia haec Voluptas concinit:
« Hinc fletus omnis absit,
Procul et dolor facessat:
Stygii malas tyranni
Non sensit ista fraudes;
Sed matris in sinu suae
Timenda vindex emicans
Hiantis anguis asperos
Morsus minasque contudit ».
Haec tinniente voce
Iterat canens iocosa,
Pede plaudit et decentes
Argutulo choreas.
At tu, Puella, honoribus
Cui fulget ortus aureis,
Tot iure quamvis munera
Teque inclitum exornet decus ;

Fastidias caveto
Nostras, Puella, sedes:
Rerum Pater tibi uni
Has maxime paravit.
Serena per noctem faces
Quae luna ducit igneas,
Mollem soporem languidis
Tuis ocellis afferet.
Croco rosisque picta
Aurora surget undis,
Diem ut reducat almum
Tuis, Puella, ocellis.
At sol eoo ab aequore
Dum fundit immensum iubar,
Lustratque montium iuga
Flexus et imos vallium;
Te frondei recessus
Nemorum vocant, et aurae
Lascivius iocantes,
Et fontium susurri.
Nam quidquid usquam amabile
Sensus beare gestiat,
Gestit tibi se conditum
Et te beare discupit.
Quod si scelesta fraudum
Et criminum caterva
Laxis ubique frenis
Licentius vagatur;
Per te sub imis sedibus
Pelletur exspes, et diu

Despecta virtus candidis
Terras reviset moribus.

III

LVSVS

Ni primo adhuc in gallici [1]
Sermonis essem limine,
Catullianis versibus
Valere iussis, ederem
Versus libenter gallicos,
Aditum tibi quo·prosperum
Sedes ad hasce bellulo
Congratularer carmine.
Fingendo at ori, aptissimis
Quo verba se prodant sonis,
Hucusque nos exercuit
Patiens labos et plurimus.
Vocalis haec lenissimo
Pronuntianda est sibilo:
Illa haud placebit auribus,
Ni fluxerit de naribus:
Est quae videri obscurior,

[1] Hoc carmen conscriptum et recitatum fuit Tolosae, cum hospes nostri Ordinis amantissimus aedes tolosates, ubi scholastici itali commorabantur, inviseret.

Quae clarior plane petit;
Quae iure sese in alterum
Mutata transformat genus.
Quid cum moleste ferrea
Curtare voces lex iubet
Vel littera vel syllaba,
Vt cauda inepte praeditas?
Haec sero lingua fingitur,
Quam mater aut nutricula
Puero prius non finxerit.
Memini rudem discriminis
Me saepe verborum, pia
Dum lectione sedulus
Mensae adsidentes pascerem,
Peccasse mendum maximum.
Risere tum statim scyphi,
Strepitu et patellae maximo:
Bilis mihi sed interim
Nares ciebat imulas.
Vtcumque sit, conabimur
Sollerte cura seduli,
Vt mense primo aut altero
Loquamur expeditius:
Et forte quis nos audiens
Audebit, ut quidem reor,
Iurare per Fontenii
Bene elegantes fabulas,
Racinium, et per comicum
Quo socco Athenae perdiu
Se comico orbatas dolent,

Per quidquid elegantius
In gallicis est uspiam
Vel est futurum litteris,
Nos esse nequaquam hospites
Sed esse cives gallicos.

HENDECASYLLABI

I

AD BEATAM VIRGINEM
PVERI IESV MATREM

Hoc ergo tibi contigisse? Tecto
Sub vili et male inhospito sub antro
Hunc tuum ut pareres, venusta Mater,
Tam bellum Puerum atque delicatum?
Iure illum tepidis foves in ulnis,
Et castum adprimis ad sinum, osculisque
Blandis rursum iterumque suaviaris.
Pulcher, scitulus, elegans renidet,
Et totus similis tui renidet:
Nam vel lumina turgeat decenti
Iesus lacrimula, vel ora risu
Solvat semihiante, pernegarim
Quidquam suavius esse pulcriusque.

Aurum mollibus invidet capillis,
Qui per colla fluunt licentiores,
Contendit minio rubentis ostri
Illud purpureum decus genarum;
Et certare rosis coraliisque
Possent labra. Sed emicant ocelli
Binis sideribus nitentiores;
Inque illis amor insidet, suisque
Castus pectora vulnerat sagittis.
Ergo hunc quo magis intuor Puellum,
Hoc me mi mage surripit, facisque
Admotae velut ignibus perurit:
Quin sane, reor, ureret, vel aere
Cor duro chalybe aut magis rigeret.
Oh si fas cupidis semel lacertis
Amplecti Puerum, quid esset ultra
Quod mihi expeterem satis beatus?
Saltem unum precor, o venusta Mater,
(Preces ni videantur arrogantes):
Da semel Puerum mihi osculandum;
Nec frontem, os, oculos, genas, labellum,
Sed pedes semel osculabor imos.
Vnum me dare suavium hoc vetabis?

II

FASCIAE DIVINI PVELLI ARTVS OBVOLVENTES

Pulcrae o fasciolae atque perbeatae,
Queis obvolvere contigit tenelli
Iesu membra rosis nitentiora
Recenti et mage delicata lacte,
Ecqua vos ego laude praedicabo?
Certe haud puniceo rubetis ostro,
Non subtegmine serico nec auro
Estis conspicuae indicave gemma.
Nam vos ipsa, reor, Parens Puelli,
Parens huius amabilis Puelli,
(Cui vix curta domi nitet supellex)
Crasso stamine texuit rudique.
At vobis tamen est bene ac beate:
Membra involvitis illa pervenusta,
Quae cultu induere elegantiore
Certet lana novo rubens ab ostro,
Certet serica vestis invidendo
Auro conspicua indicave gemma.
Nunc ergo officium decet Puello
Vos rependere sedulum, et protervi
Huic defendere vos noti furorem,
Et brumae mala frigora insolentis.
Vnum vos rogo plurimum, cavete,
Arcta ne nimis implicatione
Infantem heu religare perpusillum

Blandnm molliculum audeatis: illum
Sat nodis amor alligavit arctis.

III

IESVS INFANS DORMIENS

O Iesu Puer, o Puer venuste,
Longe carior omnibus puellis,
Cur tuis semel abnuis misellum
Memet luminibus videre blandis?
An dormis, Puer o venuste, dormis?
Hem! dulcis precor adliget tenella
Somnus membra revinciatque longum,
Dum te frigidulo trementem in antro
Suis Mater amans fovet lacertis.
Quam sic scitulus ipse mi videris,
Qui pronum caput adprimis decenter
Cervici roseae bonae Parentis,
Collo et candidulo bonae Parentis
Lentus brachia delicata nectis.
Quin licet placida quiete pressi
Blandum nescio quid nitent ocelli,
Et lenissimus insidet micatque
Risus semihiantibus labellis.
Immanes boreae furentis irae,
Hinc abite procul; silete vestris,
Pastores, calamis, levem Puello

Ne levis strepitus fuget soporem:
Sol sub aequore longius moretur
Serenum revehens diem, nec antrum
Collustret radiis tenebricosum.
Ipse ego interea abditus latente
Specus huius in angulo silebo,
Excussus Puer ut sopore blandis
Memet respiciat libens ocellis.

IV

IESVS INFANS AMABILIS

Ohe amemus. An usque torpet imis
Mens heu sensibus aegra? num rigescit
Aut ferro aut adamante durius cor?
En hoc nil pote amabili Puello
Esse amabilius venustiusque.
Vt memet mihi surripit, measque,
Spirans fronte, oculis, genis amorem,
Incendit face plurima medullas!
Vrit scilicet ille seu decenter
Diducit placido labella risu,
Seu leni tenuat labella fletu:
Vrit cum palea rigente fulcit
Latus candidulum atque mollicellum,
Qualis caespite in arido per herbam
Floris luteoli decus renidet.

Quid quod idem oculo satis loquaci
Et gestu et lacrimis piis amorem
Exposcit cupide omnium ac lacessit?
Quin blando capite adnuens utrumque
Tendit brachiolum rapique certat,
Vt si gestiat osculis potiri,
Vt si discupiat sinu recondi.
Ergo amemus amabilem Puellum,
Quo nil suavius est venustiusque,
Ni nobis male mens iniqua torpet
Vsque sensibus intimis, rigetve
Aut ferro aut adamante durius cor.
Amemus, vel amare si nequimus,
Verius, reor, emori decebit. [1]

V

DIVINVS PVER
SALVTEM GENERIS HVMANI
SANGVINE SVO DEDICANS

Non vanus timui augurans: rigenti
Eheu ferrum acie tibi adparatur,
Tibi, parvule delicate Iesu.
Ergo sanguineum rigensque ferrum,

[1] Vide carmen P. Sarbievii Epod. Od. IV, quod hendecasyllabi imitantur.

Licet sanguineum et rigens, notare
Audebit tua mollicella membra?
At non unus es e puellulorum
Vulgo, magne Puer, licet sub atro
Ortus pumicis horridae recessu
Et vili expositus rudique in ulva.
Prodisti e gremio tuae Parentis
Diae amabilis illius Parentis,
Lux puro ut solet emicare vitro:
Nec frustra aligerûm cohors olympo
Lapsa et carmina concinens, decoris
Nascenti tibi gestiit choreis:
Nec frustra rutilae nitore stellae
Reges sedibus exciti remotis
Certarunt tibi sceptra regiamque
Proni subiicere ad pedes coronam.
Quid quod te male dedecet pudendae
Labis ferre, Puer, notam, ipse quando
Lapsus e solio Tonantis alto
Debes omnigenas piare labes?
Heu! tamen loquor irritus, rigenti
Ferrum quippe acie tibi ádparatur.
Divus stringit Amor, tuumque Nomen
Compellans simul ore, vulnus infert
Clamatque: hoc hominum salus potenter
Nomine atque Cruore dedicatur.

VI

IN CHRISTI DOMINI NATALEM

Hem vos quotquot adestis hic ad aram,
Vbi fasciolis micans et ostro
Iesus molliculus recumbit Infans,
Dicenti puero boni favete.
Volo dicere versibus Puellum,
Decus deliciumque pupulorum
Quot sunt quot fuerunt eruntque posthac.
Nec me pangere tantulo cerebro
Credatis potuisse cantionem
Festivam lepidam perelegantem.
Pigrum scilicet adsidens ad ignem,
Tenui stamina dum colo trahebat,
Hanc matercula scita cantionem
Mi dixit deciesque centiesque,
Vt possem memori tenere mente.
Ipsa quin etiam docente, vocem
Tinnulam didici ciere, et apte
Dextrum tendere brachium et sinistrum.
Ergo haec tam facio decenter, omnes
Vt me laudibus efferant, et addant
Gestu ac voce praeire Septimillo,
Cui nunc invidia mala dolet cor.
Nam fastu ipse tumet sodalibusque
Se cunctis putat esse doctiorem.
Verum nunc animis adeste cuncti :

Dicenti puero boni favete,
Ne malus pudor opprimat loqnentem.

PVERI NAENIA

Nox erat et gentes sopiverat alta silentes,
Cum Numen, plcnis quod mundum torquet habenis,
Rupe sub edura peperit Virguncula pura.
Bruma dedit flores, quamquam horrida, versicolores,
Canaque inornatis halarunt lilia pratis,
Certatim ut bello properarent serta Puello.
Sed dedit ulva rudis membris cunabula nudis.
Pastores recta, linquentes frondea tecta,
Ad Puerum vilis tulerunt bona munera ovilis,
Carmina et arguta cecinerunt pulcra cicuta.
Immo per nubes delapsa est caelica pubes,
Festivumque lyris permulcens aethera miris
Dixit: in his oris Deus est vi natus amoris.
Plaudat io Infanti nemus omne et collis amanti. [1]

---

[1] Confer carmen P. Aloisii Lanzii e Soc. Iesu, « Caecus mendicans ad sacram aedem die Domini Nostri natali » (Inscription. et Carmin. L. I. C. V. 9). Naenia conscripta est versibus quos *leoninos* vocant, quod eorum auctor perhibeatur fuisse Leonius aut Leoninus, qui floruit Alexandro III Pontifice. Vsurpari autem cum laude possunt in lusibus, ut apud P. Lanzium, ut hic, ut huiusmodi aliis in locis.

VII

PVERI MVNVSCVLVM NATALITIVM

O rosa mage delicate Iesu,
Qui vultu placidus venustulusque
His cunis teneros reponis artus
Fultus versicolore culcitella,
Audire haud pueri abnuas querelas.
Mi natalitium benigna munus
Quotannis dare mater adsolebat,
Tua haec candida festa cum redirent.
Ornabant mihi cistulam placentae,
Pastilli. bona liba, candidique
Globi dulciculi, et meo palato
Si quid suavius elegantiusve est.
Quorum partem ego delicatiorem
Tuli saepe libens tuas ad aras,
Et volens tibi propriam dicavi.
Hoc anno heu! tamen est mihi tibique
Sublatum male munus, o Puelle.
Ex quo doctor enim mihi terendum
Malum pestiferum dedit libellum
Quem dicunt Cicerunculum vocari,
Culpor in studiis iners, et usque
His, viden? ferula est timenda palmis.
Verum nunc quid agam scio: libellum,
Tritum pestiferum malum libellum,
Discerpam manu utraque, debitusque
Tuos ante oculos vorabit ignis.

Sic mi supplicium dabit, tibique
Flammis calfaciet tenella membra,
Quae contracta hieme et gelu rigescunt:
Nec natalitium abstulisse munus
Posthac, si sapiet, volet puellis.

VIII

OFFICIOSAE SALVTATIONES NATALITIAE BONI OMINIS CAVSSA

Iam natalitiae imminent calendae,
Quas diae Sobolis beavit ortus;
Et quamvis hieme horridae recurrant,
Gestiunt tamen advenire laetae.
Bona ergo auspicia afferunt, et unum
Quemque verba iubent bonis diebus
Fausta dicere, et invicem referre.
Quot cantant volucres tepente vere,
Quot frondes nemorum excutit november,
Quot caules riguis vigent in hortis,
Quot fert pisciculos Tibris minutos,
Tot per compita, porticus, tabernas,
Iactari omina prospera audiuntur.
En hic patricias manus clientum
Angustare fores et alta inire
Cernis limina, nobili ut patrono
Effuse omina fausta comprecentur

Ast illic famulans cohors potentem
Longis obsequiis herum fatigat,
Centum et callida comprecatur annos.
Tum passim obvius obvium salutans,
Voces continuo bene ominatas
Refert. Hanc ego futilis negotî
Rem plenam esse puto atque ineptiarum.
Verum quid sapiens agas? vetustus
Sic mos invaluit, vacare et isto
Haud pulcrum officio putatur. Ergo
Vos quoque hendecasyllabi pusilli,
Quamquam putiduli per et pusilli,
Ne sitis male rustici cavete.
Sed si forte aliquis benigno ocello
Vos adspexerit atque lectitarit,
Isthaec dicite pauca: te Puellus
Dius sospitet, usque det salutem,
Et sanam, hoc caput est, habere mentem.

IX

TIBICINES NATALITII

Cum bruma horridulum refert decembrem,
Et sacrae properant inire cursum
Venturo hebdomades Deo Puello,
En agros litui suos relinquunt, [1]
Vrbem ut carmine mulceant beatam.

[1] Hos vulgo dicimus *Pifferari*. De quibus vide pag. 34.

Binos monticolas modo huc modo illuc
Discursare vides: acutus ollis
Galerus premit hispidum capillum;
Ad curtas male ludit usque braccas
Tritum palliolum; et subesse plantis
Ambigit solea adligata sure.
Vnus ludere tibia peritus,
Argutos levior modos pererrat:
Inflans alter utrem tumente bucca
Alternoque simul reflans lacerto,
Gravis succinit usque et usque cannis.
Ergo pro tenui stipis lucello,
Vbi aut unctior advocat taberna,
Vel civis patet atrium potentis,
Vel sancto colitur tabella vico,
Novenis Puero Deo diebus
Rudem instant iterare cantilenam.
Sopitum excitat haec rubente mane,
Haec summo obstrepit, haec cadente sole,
Seu tu flaminiam negotiosus
Seu serus madidam teras suburram.
Io, monticolae boni, per urbem
Plebs cantum pia rusticum secundet:
Sic vestris utribusque tibiisque
Divinus faveat Puer, nec imus
Vnquam pulmo neget ciere flatum,
Donec turgida sit crumena nummis.
Sed reges ubi venerint eoi,
Tum salvis liceat gradu citato
Ad larem et patrios redire montes.

X

IN BEATAM MARIAM VIRGINEM TEMPLO SE TRIMAM SISTENTEM

Quo tu, dia Puellula, o venusta
Lux mirusque decor puellularum,
Cum parente bono bonaque matre
Passu trimula tendis expedito?
Auguror (temere haud enim nitentes
Genas flammeolum elegans obumbrat,
Et fulget niveo colore vestis),
Paternae domus immemor sacratum
Ad templum properas, ibique septo
Clausa degere discupis pudico;
Vt solet cupidis volare pennis
Ad carum bona nidulum columba.
Sic est: divus Amor viam praeire
Gestit et faculae coruscat ignes;
Hinc latus Pietas tegit tenellum;
Hinc Pudor roseo micans ab ostro;
Virtutumque hilaris caterva pone
Comes subsequitur tibique plaudit.
Iam fores procul aedium beatas
Tu signas digito, et subire pergis
Laeta rasile limen. At repente
Cur eheu revoluta poste duro
Ianua increpuit! quis intuenti
Tuum subtrahit invidetque vultum?
Felices sociae, quibus licebit

Tecum degere, te videre, dulci
Et saepe alloquio tuo beari!
Felix cellula, sede quae pusilla
Tete exceperit, ac tuos stupebit
Amores studia aureasque curas,
Sive acu artifici perita telam
Pingens appositam canes amoena
Dia carmina vocula; aut tuorum
Evolvens monumenta prisca patrum,
Mente sub memori reposta condes;
Aut tendens superis manus supinas,
Et luce irradiante fusa, casto
Edes pectore postulationes.
Tum lapsa aligerûm cohors olympo
Discet saepe tuis calere flammis:
Certatim et trepido levis volatu
Sublatam rutilas vehens in arces
Inter agmina caelitum locabit.
At quo versiculi licentiores
Vltra tendere pergitis? Silete,
Non sunt ista sono efferenda vestro.

XI

SANCTI ALOISI PATRONI CAELESTIS EXEMPLA IVVENTVTI AD IMITANDVM PROPOSITA

Huc quaeso, o pueri, huc adeste, quotquot
Castum Loisidis boni patroni
Augetis numerum clientulorum.
Huc, inquam, huc alacres adeste: cura
Certetis volo diligentiore,
Quisnam Loisidem bonum patronum
Belle pingere norit et decenter.
Ridetis? Nihil hic opus per artem
Distinxisse coloribus tabellam:
Nec nunc Loisides avet per artem
Se pingi tabula coloribusque.
Verum ut artifici solet tabella
Pictor persimiles referre vultus,
Sic vos persimiles sibi videre
Mente et corpore discupit patronus
Vester Loisides: et, haec imago
Viva, inquit, mihi maxime probatur,
Haec pote ante alias placere cunctas.

XII

SANCTO ALOISIO PATRONO CAELESTI LIBELLI SVPPLICES IVVENTVTIS

Ite o Loisidis pias ad aras ,
Fausto ite omine, supplices libelli,
Quos prono sibi et optimo patrono
Mittit unanimis cohors clientum.
Vobis, credo equidem, placetis ipsi
Multo quod minio illiti vel auro
Itis conspicui decenter oras;
Aut pellucidulo undique involuti
Velo taeniolisque colligati,
Cultu versicolore fulguratis.
Res haec parva tamen per et pusilla est.
Magni illud, mihi credite, o libelli,
Refert, quod geritis bonae iuventae
Fervidas bene postulationes,
Vota et credita paginae fideli.
Haec si purpureo sedens olympo
Admittit Lodoix, benignus ille
Caelestis iuvenum omnium patronus;
Si, quae litterulis notata vestris
Sunt cumque, haec rata iusserit, secunda
Tum laetis merito approbatione
Vobis arbitror esse gestiendum.

XIII

LVDIO PRAETEREVNTES INVITANS VT LIGNEOLAS PVPAS SPECTENT

» Heus, heus, si quis homunculos videre
» Amat ligneolos perelegantem
» Et bellam modo fabulam daturos,
» In istam citus advolet tabernam.
» Haud plus penditur asse; quid, malum, oh quid
» Vos ergo macra deficit crumena,
» Assem aut pendere vos pigebit unum?
Nemo audit: male sit levi popello
Hinc qui praeteriens negotiosus
Me ieiunia dura ferre coget,
Si nihil vacuo dabit lucelli.
Ad ravim tamen usque clamitabo,
Quam qui clamat oluscula atque caules.
» Hem spectare dicaculas figuras
» Cuncti accurrite: scena, ludiones,
» Parata omnia: scamna sola frigent.
» Sed quicumque moram trahet pusillam,
» Exclusus, puto, deinde conqueretur.
Turba en convenit. « Eugepae, o iuventus,
» Assem in pileolum iniice: huc venire
» Immunis velit audeatve nemo,
» Ni vult deminui sibi cerebrum.
» Vos succedite protinus: feretis
» Pro parva stipe plurimos cachinnos.

EPIGRAMMATA

I

IN DIEM CHRISTI NATALEM

Parcite io votis: finem latura laborum
Virgineo Proles labitur e gremio;
Qualis ubi quondam tenebris si forte fugatis
Queis nigra tellus nocte sepulta iacet,
Aurora genitus pulcra pulcherrimus ipse
Sol matutinis prosilit aequoribus.
Expectate Puer, salve, salve, o bone: nobis
Quantulus exoriens gaudia quanta paris.

II

AD VIRGINEM SANCTAM DE PVERO IESV

Oh qualis Puer, adridenti ut scitulus ore,
Mater dia, tuo prodiit e gremio!
Hoc certe viso mitescant corda ferarum,
Ipsa adeo et frigus saeva remittat hiems.
Quippe tui similis plane est, ut nec tua possit
Nec Nati species visa placere magis.
Verum illud potius demiror, prole quod aucta
Virgo eadem merito diceris atque Parens.
Hinc quantum pueros inter tuus eminet Infans,
Tantum ego te cunctis matribus antefero.

III

AD PVERVM IESVM

Vt versus scribam? tundendo nempe cerebro
    Nil nisi versiculos scribere deerat adhuc.
Dum scrutor divina et morum dogmata disco,
    Multus et hebraeos conor hiare sonos,
Dum fesso haud quidquam capiti conceditur otî,
    Omne aliud quam istas cogito litterulas.
Nunc acri ut vellem ingenium contendere nisu,
    Non possem versus quatuor elicere,
Quales ad strepitum chordarum et chromate rauco
    Par mihi caecorum cantitat in triviis,
Auriculas solitum vacui retinere popelli,
    Inversoque stipem poscere pileolo.
Ergo, sancte Puer, fato meliore sodales
    Carmina nascenti cum tibi multa litent,
Ipse tuis presso cunis figam oscula labro:
    Hoc esse officii tu quoque rere satis.

IV

PVER PVERO IESV BELLARIA

Hunc tibi de levi calathiscum vimine lectis
    Ornatum dapibus, Pupule sancte, fero:
Candiduli hic globuli nihil ut sit dulcius usquam,
    Crustula et adstrictae melle liquente fabae.

Mi natalitiis dedit haec matercula festis
Munera, quod nitui moribus usque bonis.
Si mores servare bonos dabis, ista quotannis
Adveniet cunis cistula plena tuis.

V

MORS DEVICTA CHRISTO RESVRGENTE

Vt scelus infecit nascentem primitus orbem,
Fatali oppressit mors fera cuncta iugo.
Illa quidem sese iactabat, ferrea nullae
Quod possent unquam frangere iura vices.
Vi tamen ipse tua dum, Rex fortissime, vitae
Te te ipsum a nigro funere restituis,
Mors insperato vacuum mirata sepulcrum,
Irata et frangens irrita tela manu:
Vincimur, inclamat, nostrum haec victoria regnum
Meque ipsam extremo perdidit exitio.

VI

MARIAE SANCTAE DOMINAE NOSTRAE MIGRATIO

Vt sibi supremam cognovit Parthenis horam
Instare, intentis astra tuens oculis:
Quo memet tu, Nate, vocas, venio, inquit; amanti
Sat negat amplexus mi mora longa tuos.

Dixit, et in roseo dum mors stupet inscia vultu,
Divus Amor vitae vincula dissoluit.

VII

MARIAE SANCTAE DOMINAE NOSTRAE FVNVS

Ne plorate, pium nec spargat lacrima saxum,
Et vanus moesti funeris absit honos.
Dia sub hoc tumulo Virgo iacet: attamen illi
Haud mors atra oculos nocte silente premit·
Sed molli somno compostam tertia reddet
Lux vitae et laetis caelicolum choreis.

VIII

MARIAE SANCTAE DOMINAE NOSTRAE IN CAELVM ASSVMPTIO

Circumfusa choris superûm atque evecta sub auras
Te patriis properas reddere sideribus.
I, Regina, fores pandit tibi regia divûm,
Tradit et arbitrio sceptra regenda tuo.
Tu solio ex alto terras ne sperne iacentes:
Omne tuum hinc partum scis tibi, Diva, decus.

IX

AD S. ALOISIVM GONZAGAM

Ergo adeo, Gonzaga, tibi rectique bonique
 Affulsit ratio protinus a puero,
Vt docilem nosses iam tum componere vitam
 Virtutesque animum fingere ad omnigenas?
Heu! stultam aetatem vacuos et turpiter annos
 Exegisse diu est mi pudor atque dolor.
Da tandem ut sapiam, iuvenum sanctissime; namque
 Si mora sit, serus ne sapiam metuo.

X

VIR IN VXORIS TVMVLVM

Cara vale coniux, inopino funere ademptae,
 Quod possum infelix, do tumulum et lacrimas:
Do tumulum et lacrimas tibi, cui debetur utrumque,
 Nuptarum fueras quae bene visa decus.
At tumulum quicumque hunc viderit, is quoque saxum
 Lacrimula sparget; atque aliquis titulo
Suspirans lecto dicet: sic occidit! eheu
 Invida mors quae sunt optima prima rapit.

XI

IN EIVSDEM FVNVS PARENTES

Tene immatura subreptam morte, parentum
    Cura una atque tui coniugis unus amor?
Occidis ante diem, nostrum decus et nuptarum,
    Occidis, intactae fama pudicitiae.
Oh saltem illa tui proles, tua dulcis imago,
    Luderet in vacua cara Helenilla domo!
Hanc quoque sed nobis nimium invida praeripuit mors,
    Ne miseris posset mitior esse dolor.

XII

LAETITIA NVNQVAM INTEGRA

Laetitia est miseris mortalibus integra nunquam:
    Parte aliqua, possis quam cupere, usque caret.
Aut etiam dum perfundit dulcedine pectus,
    Vnde unde huic sese miscet amarities.
Vere illud dicunt · fulget rosa, molliter halat,
    Est spinis expers non tamen ulla suis.

APPENDIX

I

Ad alacritatem in studiis fovendam P. Henricus litterarium coetum e discipulis conscripserat, cui nomen a floribus fecerat *Coetum Sodalium Florilegorum*. Quum vero an. MDCCCXLV experimentum humaniorum disciplinarum sollemnius publicarent Sodales florilegi, placuit titulis et epigrammatis S. Ignatio Patri bibliothecam exornari.

TITVLI

(PRO FORIBVS)

TIBI

IGNATI . PATER . SANCTISSIME

AD . EXPERIMENTVM

CVLTIORVM . LITTERARVM . PVBLICANDVM

SODALES . FLORILEGI

EXORNAVIMVS

AVCTORI . AVSPICI . QVE . STVDIORVM . OPTIMORVM

(INTVS)

I

IGNATIO . LOIOLAEO
PATRI . MAGNO . LEGIFERO
SODALIVM . FLORILEGORVM
GRATVLATIONES
ET . VOTA

II

DATE . LAETITIAM . FLORILEGI
VESTRIS . QVE . PARENTI . SERTVM
INNECTITE . DE . FLORIBVS
VERNANTEM . SEMEL . HORTVLVM
ILLE . SI . BONO . LVMINE . RESPEXERIT
FLORVM . COPIA . BENIGNIOR
STATIM . AVEBIT . VESTRO . METI . POLLICE

III

NON . AVRI . FVLGOR . AVT . PVRPVRAE
SED . ANIMI . SIMPLEX . CANDOR
HONOREM . HVNC . TIBI . DEDICANT
NE . DESPICE . BENIGNVS
PVBIS . OBSEQVIVM . TVAE

IIII

VISE . NOS . PATER . E . CAELO
TECVM . ET . PIETAS . ET . FIDES
INGENVVS . ET . PVDOR
OMNISQVE . PEDE . FACILI
VIRTVTVM . INCEDAT . COHORS
QVAM . PONE . FELIX . COMITETVR . FAVSTITAS

V

SI . QVEMQVE . INGENIO , INDVSTRIA
MACTE . IVSSERIS . ESSE
QVAE . TIBI . FLORVM . HEIC LAETITIA . RIDET
HANC . EXSPECTATA . POSTMODVM
VBERTAS . SEQVETVR . FRVCTVVM

VI

AEQVI . O . RECTI . QVE . CVSTOS
NE . MENS . INDOCILIS . REGI
FRENVM . EXCVTIAT . IMMEMOR . PROPOSITI
PROGENIEM . TV . PATER . TVAM
VOLENS . PROPITIVS . SOSPITA

VII

QVAE . TE . SVCCRESCIT . AVSPICE
TVIS . ADOLESCIT . INSTITVTA . LEGIBVS
DA . SANCTE . QVAE . PRECAMVR
ADSVESCAT . VT . NOVA . HAEC . SOBOLES
VIRTVTIS . IN . MOREM . TVAE
SPECTARE . SEMPER . ET . AVDERE . MAXIMA

EPIGRAMMATA

SANCTO IGNATIO

I

PARENTI SOCIETATIS IESV

Caelicolum auspiciis et Iesu nomine felix,
Magnanimam coiit ductor in arma manum;
Quae grandem belli mercedem inferret olympo
Direptas erebi ex hostibus exsuvias.

II

ADSERTORI DIVINAE GLORIAE

Vt vanis mentem studiis exemit, in uno
Fixit divinae laudis amore animum:
Namque huic devovit curas vitamque, paratus
Hanc vel posthabitis quaerere sideribus.

III

PROPAGATORI CHRISTIANI NOMINIS

Eoas late gentes populosque feroces,
Regnaque desertis barbara litoribus,
Dum Christo adiungi studuit, sibi scilicet orbem
Esse adeo angustis finibus indoluit.

IV

DOMITORI FACTIONVM HAERETICARVM

Hostes sacrorum, et pietati inimica serentes
Dogmata, perpetuo proruit exitio:
Quorum late odia et furias explevit iniquas,
Adversa crescens maior ab invidia.

V

PROPVGNATORI PONTIFICIAE AVCTORITATIS

Ne, coniuratis si freta potentius armis
Romano auderet bella movere Patri,
Impietas ageret stultos impune furores,
Militiae obiecit pectora fida suae.

VI

MAGISTRO CHRISTIANAE PHILOSOPHIAE

Quae sit summa boni sapientia et usus honesti,
Paginulis apte prodidit eximiis:
Nil tanti sophiae sunt omnia scripta: libellus
Ille, animos quod re sospitet, unus habet.

VII

RESTITVTORI VERAE PIETATIS

Desuetas dudum pietatem incendit ad artes
Pronam et divinis reddidit obsequiis;
Id cupiens unum, ut quibus ipse arderet, easdem
Pectoribus flammas omnibus iniiceret.

VIII

HORTATORI CATECHESIS TRADENDAE

Turbam saepe levem puerorum atque agmina, tantus
Tantillos, Christi legibus erudiit:
Non rerum falli specie se passus, at ipsas
Res solitus vero pendere iudicio.

IX

SOSPITATORI PVDICITIAE

Bina dedit, morum sollers avertere fraudem,
Hospita tutandae tecta pudicitiae;
Sive illaesa suum vellet cavisse periclum,
Sive suam in melius vertere laesa vicem.

X

AVCTORI STVDIORVM OPTIMORVM

Doctrinae cunctas animum exercere per artes
Longaque ob id iussit taedia ferre suos:
Nil prosunt aliis inculta, sibique nocebunt
Ingenia inscitis oblita litterulis.

XI

CVLTORI IVVENTVTIS INSTITVENDAE

Ancipiti docuit florentem aetate iuventam
Artibus et castis moribus institui:
Hinc tibi, Religio, cultores, hinc quoque sensit
Posse olim cives urbibus esse decus.

XII

RESTITVTORI CVLTVS AEDIVM SACRARVM

Splendorem templis atque aris auxit honores,
Religio ut posset luce nitere sua:
Quae nisi sese oculis augusta offuderit, ipsis
Scilicet oblitis decidet ex animis.

XIII

CONDITORI DOMVS VRBANAE NEOPHYTIS ERVDIENDIS

Lustrali domus excipiat quae rore piandos,
Exstructam curis se docet esse tuis:
Quam bene sese aperit tam tutus in urbe recessus,
Arcem ubi religio fixit et imperium.

XIV

CONSTITVTORI COLLEGII GERMANICI

Quam Romae statuit sedem, rite ut tua posset
Institui ausoniis lecta iuventa sacris,
Huic certe debes, veterem, Germania, cultum
Quod prorsum haud labes impia polluerit.

XV

TVTORI ORBITATIS

Prolem, quae caris orbata parentibus omnes
Ereptas misere spes sibi dispiceret,
Tum lare cum cultu instructam bene fovit amico:
Haud natura facit scilicet una patres.

XVI

ALTORI EGENORVM

Res inopum angustas sortem et miseratus iniquam
Solari larga gestiit usque manu:
Laude utraque ingens, animis seu profuit aegris
Tristia seu facili corpora iuvit ope.

XVII

PATRONO CAELESTI
SODALIVM FLORILEGORVM

Hunc hortum tenuem certe satis atque pusillum,
Quem nostra assiduo cura labore colit,
Tu tibi habe proprium: nam si vernantibus halat
Floribus, id totum muneris, alme, tui est.

II

Quum anno MDCCCXLII ossa S. Stanislai Kostkae, id curante cumprimis P. Vincentio Mauritio tunc temporis Rectore domus probationis et sollertissimo atque amantissimo iuventutis Magistro, a loculo, in quo asservantur sub ara templi S. Andreae Apostoli, in interiorem domus aedem rite translata fuissent, quo loculus ipse pulvere et sordibus abstergeretur; in suam sedem deinceps relata fuerunt pia sodalium omnium pompa, quam etiam cohonestaruut sequentes tituli et epigrammata.

STANISLAO . KOSTKAE

ADOLESCENTI . SANCTISSIMO

IN . EXEMPLVM . TVTELAM . QVE

TIROCINII . HVIVS . DIVINITVS . DATO

CVM . EIVS . CORPORIS . EXSVVIAE

LOCVLI . SQVALORE . DETERSO

IN . SVAM . SEDEM . PRIVATA . POMPA . REFERRENTVR

SCHOLASTICI . IVNIORES . SOC . IESV

LAETABVNDI

GRATVLATIONES . ET . CARMINA

I

OSSA SANCTI STANISLAI KOSTKAE PVLVERE DETERSA

Nunc autem Kostkae cultu meliore renident,
Oblita quae fuerant pulveris ossa situ.
Vos o reliquiae et cineres salvete beati,
Redditus est vobis nam bene vester honos.

II

LIGNEVS OSSIVM LOCVLVS

Quod mortale fuit Kostkae dum viveret, ista
Nempe suo felix continet urna sinu.
Humani hoc habuit tantum: nam cetera visus
Ille puer geniis par prope caelitibus.

III

LINTEOLVM OSSA INVOLVENS

Si sapis, haud quaeras aurum viridesque smaragdos
Aut pellucidulos condere chrysolithos,
Linteolum felix: Kostkae dum contegis ossa,
Non tibi contigerit copia maior opum.

IV

OSSIVM CANDOR

Quid tu miraris sic ossa nitescere Kostkae,
    Lilia ut intactis casta nitent foliis?
Ossa haec Integritas legit ne absumeret aetas,
    Atque heic virginea condidit ipsa manu.

V

OSSIVM ODOR

Multos post annos ut forte eductus ab urna,
    Kostka, tuus grato risit odore cinis:
Sic quoque virtutum praeclara exempla tuarum
    Hanc nunquam cessant fundere odore domum.

VI

OSSIVM TAENIAE

Exsuvias haec vincla tuas ut serica nectunt,
    Et sacro dites munere taeniolae,
Sic tibi nos similes nullo non tempore mores,
    O Kostka, atque arctus nos tibi nectat amor.

VII

FACES ANTE OSSA ACCENSAE

Has niveas dedimus ceras, quae, Kostka, liquescant
Igne levi exsuvias corporis ante tuas.
Scilicet hac referunt, sacro divinitus igne
Vt tua paullatim corda peredit amor.

VIII

OSSA FLORIBVS CONSPERSA

Quam bene promeritis, Puer o sanctissime, florum
Exsuvias laeto spargimus imbre tuas.
Tu quoque praereptus nostris es flosculus hortis,
Vt melius superis insererere plagis.

IX

OSSA AD OSCVLANDVM PROPOSITA

Quisquis ades, procumbe sacram submissus ad aram,
Et Kostkae supplex oscula fer cineri.
Purus at accede: incestum namque oscula labrum
Quae tulerit, castus respuet ille cinis.

X

RELIQVIAE EX OSSIBVS

Quas pietas late mittendas casta per urbes
Ex his particulas surpuit exsuviis,
Delatos illae Kostkae testantur honores,
Cultoresque suos ut iuvet auxilio.

XI

OSSIVM VIRTVS

Quamvis in parva taciti requiescitis urna,
Vllus nec vobis sensus inest, cineres,
Plurima quae multus supplex benefacta reportat,
Sat quantum virtus sit pote vestra, docent.

XII

OSSIVM TRANSLATIO

Festa iure alacres agitamus gaudia pompa,
Dum, Kostka, in sedes reddimus ossa tuas.
Illa quidem nostris ultro gestire putarim,
Arca sint quamvis condita, laetitiis.

XIII

OSSA IN PRISTINAM SEDEM RESTITVTA

Ecce tuas arae exsuvias tibi rite dicatae,
Kostka, tuo laeti reddimus et tumulo.
Hic tibi succrescat studium cultusque clientum,
Hic tuus aeterna in saecula vernet honos.

XIV

VOTA SANCTO STANISLAO

Haec, quod tute vides, fausto lux omine splendet,
Kostka, tibi nostris non sine muneribus.
Haec eadem fausto lux splendeat omine felix
Nobis, Kostka, tuis non sine muneribus.

O . CAELESTIVM . PVLCHERRIME
CVLTOR . VIRTVTVM . CVSTOS . INNOCENTIAE
QVO . DIE . LIBENTES . MERITO
CVNCTI . FESTIVA . TIBI . POMPA . PLAVDIMVS
VOTIS . O . SANCTE . BONIS . BONVS . ADNVE
ET . CAELO . PROPITIVS . VOLENS . NOBIS . ADES
TIBI . SI . NOSTRAE . CVRA . DOMVS . OBTIGIT
QVAM . TVAE . VIRTVTIS . RECREASTI . LVMINE
QVAM . ET . TVORVM . RELIGIONE . CINERVM
AVGVSTIOREM . FACIS
TVTELAE . CREDITAM . TVAE
AVGE . TVERE

III

Titulum, quem damus, carissimi patris monumento filius amantissimus inscribi voluit.

☧ OSSA ☧

AVGVSTINI . MARCI . F. NOZZI

DOMO . CASCIA . CIVITATE . VRBIVENTO

QVI . DECESSIT . IIII . KAL . OCT . AN . MDCCCLI.

AETATIS . P. M. LXVIII.

MARCVS . SAC . ET . CAROLVS

PATRI . AMANTISSIMO . POSVERE

PIVS . INTEGERQVE . VIXTI . LABE . PVBLICE

NVLLA . NOTATVS . NEC . PRIVATIM . SEDVLVS

IDEM . AD . VIRTVTEM . CONFORMARE . LIBEROS

FRVGI . MODESTVS . OMNIBVS . ACCEPTVS . BONIS

NON . GENVS . AVT . CENSVS . DIVES . SED . TVORVM . AMOR

MEMORI . SAXO . CINERES . HONESTAVIT . TVOS

IN . PACE . CHRISTI . BENE . SIT . AETERNVM . TIBI

PARS ALTERA

DRAMA LATINVM

STANISLAVS FVGIENS

DRAMA

ARGVMENTVM

Stanislaus Kostka, nobilis adolescens polonus, quum ad annum decimum tertium aetatis suae vitam in paternis aedibus innocentissimam duxisset, missus fuit studiorum caussa Viennam Austriae una cum Paullo fratre natu maiore. Degit primum in ephebeo, quod ibi Societas Iesu regebat; sed eo mox disturbato, ut Paullo obsequeretur vel invitus concessit habitatum in aedes lutherani hospitis. Quam vivendi rationem inierat domi in Polonia, et maioribus excoluerat virtutibus sub disciplina Patrum S. I. in viennensi collegio, sancte persequebatur. Eam ob caussam Paulli iram et odium contra se excivit, qui quum liberioris esset ingenii ad sua studia illum contendebat pertrahere, blandis invitationibus et dolosis consiliis primum, deinde vero minis, conviciis, verberibus, indignis usquequaque modis. Quae dum sanctus adolescens constanti perfert animo, nec tamen ab officio ne transversum quidem unguem se abduci patitur, in gravem incidit morbum et in praesens devenit vitae discrimen. Sed beatissima Virgo Maria, quam Stanislaus uti filius dulcissimam matrem colebat studiose, illi se videndam praebuit cum puerulo Iesu, eumque a morbo recreatum nominatim monuit ut Societati Iesu nomen dare ne cunctaretur. Quod ille dum exsequi studet, nec patrem aut fratrem sibi

faciles fore speraret, consilium coepit fugiendi et Romam usque contendendi. Facilem fugae praetextum dabat ipsa germani asperitas. Ergo viatoriis sibi vestibus comparatis clam aufugit, et peregrini habitu Vienna Dilingam primum, deinde Romam devenit, et a S. Francisco Borgia, qui tum temporis Societatem universam moderabatur, inter tirones adlectus est ad S. Andreae in colle quirinali. Fugam generosi adolescentis caelestia signa cohonestarunt: inter quae ea commemorantur. Cum Paullus, qui ex litteris, quas ad hanc rem Stanislaus reliquerat, fugam tandem cognoverat, concitato cursu fugientem insequeretur, prope praetergressus fratrem non agnovit; mox id quod erat suspicatus, quum currum reflexisset, equi repente consternati conciderunt nec, quamvis auriga ferox instaret, ultra progredi potuerunt. Stanislaus vero flumen, quod iter intercipiebat, sicco vestigio traiecit; et in aedem lutheranorum, quam ipse catholicam putarat, ingressus, vehementerque id dolens, ab angelis ipsis meruit eucharisticam dapem accipere. Porro sanctus adolescens, decem vix mensibus in Societatis Iesu tirocinio inter omnes religiosae perfectionis exercitationes traductis, beatissimo fine e vita migravit an. MDLXVIII, ipso die festo Mariae sanctae sideribus receptae, ab ea, uti suppliciter exoraverat, ad caelum evocatus. Illustris beati Stanislai fuga argumentum est huius dramatis, quod coram R. P. Ioanne Roothaanio summo Societatis Magistro egerunt quinque e discipulis ipsius P. Nozzii, feriis autumnalibus an. MDCCCXLIV, dum rusticarentur in suburbano prope Cryptam Ferratam.

DRAMATIS PERSONAE

PAVLLVS } germani fratres
STANISLAVS }
BILINSKIVS, educator
FVLCIVS, cubicularius
NAEVOLVS, servus

Scena, sive locus in quo peragitur drama, est aula maxima in aedibus viennensibus Paulli et Stanislai. [1]

---

[1] Monendi sunt lectores, P. Nozzium paullo liberiorem in numeris fuisse; neque solum, quod Quintilianus (*Instit. X.* 1.) in ipso Terentio improbavit, non stetisse intra versus trimetros, sed etiam licentias comicorum scriptorum facile sequutum esse. – Libellum autem, quem notat quartus insequentis prologi versus, conscripsit P. Iosephus Iuvencius Soc. Iesu, et titulum fecit *Ratio discendi et docendi*, quum ea proponat, quae magnam profecto utilitatem afferant iis qui litteris vel discendis vel docendis dant operam: quod experientia ipsa comprobavit, et porro comprobat in dies.

PROLOGVS

Nolo aliquem vestrum capiat admiratio,
Latinam quod acturi nos simus fabulam.
Id olim in usu nostris maioribus fuit,
Vt in libello, stilus quem scripsit aureus,
Ratio ubi discendi docendique traditur,
Legerint omnes, credo, quicumque legerint.
Sic enim scriptum est: « amoeniores litteras
Qui tractant, idonei si qui sunt, et lubet,
Tragoediam dare curent vel comoediam ».
Hunc ergo morem, ne segnitia intercidat,
Adservare volumus nostra diligentia;
Isque adeo vobis placere poterit maxime,
Quod quamquam vetus sit, novus nunc reddatur tamen
Iam si vos vultis ut argumentum praeloquar,
Scitote, *Stanislaum fugientem* novos
Poetas huic fecisse nomen fabulae.
Haec illi, ut venirem ad vos ornatu prologi,
Dixerunt mihi: norunt soli iidem cetera;
Ab ipsis expectate: nam saepe in angulos
Illos coire remotis adspexi arbitris,
Operam in scribendo mutuantes invicem.
Favete boni; nam quamvis nihil ipsi arrogent
Nec blandiantur in hoc opere quidquam sibi,
Tamen artis imperitis atque expertibus
Vos aequum est facilitate ac benevolentia
Augere, ut posthac plus audeant, industriam.

ACTVS PRIMVS

SCENA I

FVLCIVS, PAVLLVS

FVLCIVS

Si licet servo benevolo animum heri exquirere,
Videris nescio quid, Paulle, subtristis mihi
Hos iam complusculos dies praeter modum.
Ecquid curarum tandem in sinu coquis tuo?
Cur me tui participem consilî non facis?
Eloquere, ut quod ego nescio tecum sciam.

PAVLLVS

Omitte me.

FVLCIVS

Licet id me scire? Nam antidhac
(Id quod gratum fuisse advorsum te habeo gratiam)
Me fidum habuisti comitem consiliis tuis.

PAVLLVS

Odiosus es.

FVLCIVS

At quaeso ne retice obsecro:
Profecto quae te cruciat aegritudinem
Si cum aliis communices, persenties minus.
An te fratris valetudo macerat tui,
Qui gravi e morbo evasit nuper? Is tamen
Meliusculus est, et vires recipit in dies.

PAVLLVS

Quem tu mihi fratrem narras? Ille ipsus facit
Vt sic tristis agam: pudet certe memet mei,
Illius pudet, atque pudet nostri nominis,
Cum me pro fratre caudicem habere cogito.
Absumptum morbo vellem.

FVLCIVS

Heus meliora adprecor:
Nec tu velis odisse tantum, amore te
Qui revereri et observare videtur maxumo.

PAVLLVS

Hoc est maiorem natu fratrem scilicet
Revereri et observare, ut vere condecet,
Eius si studiis adverseris sedulo,
Nec ullis unquam pareas voluntatibus.

FVLCIVS

Crede mihi, facilem et morigerum sese tibi
In posterum dabit mage.

PAVLLVS

Fulci, non pote est.
Nimium inter nos ac pernimium valde interest,
Nec de recta vivendi ratione hilum inter nos convenit.

FVLCIVS

Fortasse sic est. Homini ergo huic stulto placet
Auscultare? Tu eum sectare vitae modum
Qui magis lubet; atque item ut ille (quando sic homo est)
Sectetur sine quem magis libuerit libere.

PAVLLVS

Sinam illum?

FVLCIVS

Puto : sic enim amaritiem istam exspues,
Et moerorem ex animo prorsus omnem exhauries.

PAVLLVS

Suade hoc tui similibus : non me plumbeum
Natura finxit, aut inopem consilî boni.
Abi in rem malam cum consiliis istis malis.

SCENA II

FVLCIVS

Abiit iratus, ut solet cum intelligit
Ab aliquo improbari forte suam sententiam.
Iamdudum, ut fatear, hac me taedet in domo
Servire servitutem quamvis optumam
Et mercede quidem liberali admodum satis.
Hic iuvenes duo nobiles, gratiosi, divites,
Vt litteris et bonis operam dent artibus,
Procul commorantur a patria et parentibus.
At vero non tam sunt iidem facie similes,
Ab uno quippe eodemque nati sanguine,
Quam moribus et ingenio inter se dissimiles.
Qui natu maior est, levis, asper, sui impotens,
Vivendi potestatem nactus e libidine
Aetatem per luxum degit et socordiam;
Aleas, convivia, coetus aequalium agitat,
Seseque turpe et suam dedecorat familiam.
Ille alter contra gravis, modestus, continens,

Et ad exemplum factus virtutis unice:
Solum agere, nemine uti familiariter,
Litteris mentem aut rebus piis intendere,
Exemplum ut potis suis esse aequalibus.
Verum quis credet? Fratri ob istoc ipsum odio est.
Qui postquam illecebras cadere sensit irritas
Vt ad sua vel nolentem studia adduceret,
Iurgio, convicio, maledicto, verberi
Nil parsit. Acceptus indignis innocens modis
In morbum nuper incidit: vix dum bene
Convaluit: hae sunt ipsi induciae datae.
Nunc autem quantum video eius constantiae
Labefactandae novae parantur machinae.
Haec ego tacitus improbo, atque adeo mihi non placent,
Vt servitutis huius faciant taedium.
Praesertim quod qui custos adolescentibus
A patre additus est, magister is sane bonus
Officiorum sed officii immemor sui,
Maioris natu fratris licentiam probat,
Connivet callidus, aucupatur gratiam,
Dictis iuniorem factisque persequens malis.
Ista ut videam?

SCENA III

BILINSKIVS, FVLCIVS

BILINSKIVS

Fulci.

FVLCIVS

Ecquis me?... lupus ut aiunt in fabula.
Bilinskium summum suum salute impertit Fulcius.
Scin'? Paullus hinc modo discessit iratus.

BILINSKIVS

Scio.

FVLCIVS

Iratus admodum.

BILINSKIVS

Id quoque scio, nec miror: mihi etiam persaepe irascitur;
Sed postquam bilem concoxit, supplex humilisque ad me venit,
Quippe intelligit quam strenuus eius cupiditatibus adiutor siem.
Ceterum de fratre non ille iniuria conqueritur et dolet.

FVLCIVS

Quamobrem?

BILINSKIVS

Nimium sane, ut tutemet vides,
Ab his, quae quidem adolescentiam decent, abhorret moribus:
Rustico natum patre dicas, et genere prorsus indignum suo.

FVLCIVS

Velles, credo, probitatis omnis ut esset retinens minus.

BILINSKIVS

Non equidem istuc: satis est si norit se tractare nobilem
Vt aequum est adolescentem in victu, cultu, et consuetudine.

FVLCIVS

Ille vero sic ingenio est: contemnit haec vulgaria.

BILINSKIVS

Erras, Fulci: ingenio pervicaci utique est; mei sed muneris
Esse puto quidquid ille peccat corrigere.

FVLCIVS

Id vere autumas.

BILINSKIVS

Et maiori itidem, uti convenit, obsequentem fratri reddere.

FVLCIVS

Hoc itidem probari potest, si modo fiat recte atque ordine.

BILINSKIVS

Fiet spero: nam studeo inprimis complusculos illum dies
Ab illis suis avertere praeceptoribus . . . .

FVLCIVS

Au au, mi bone,
Num vultis vos saevidicis, quibus antea, rursum utier modis?

BILINSKIVS

Noli istuc in animum inducere.

FVLCIVS

Verebar prope.

BILINSKIVS

Immo dum sinat
Paulli indoles nimium praefervida, insidias et dolos struam.

FVLCIVS

Novi te peritum in hisce artibus.

BILINSKIVS

Aliquid certe effectum dabo.
Sed prius cum ipso colloqui animus est.

SCENA IV

NAEVOLVS, FVLCIVS, BILINSKIVS

NAEVOLVS

Tandem reperi...

FVLCIVS

Oh salve Naevole.

NAEVOLVS

Etsi non moneas memini.

BILINSKIVS

Vt superbe!

NAEVOLVS

Te iamdudum quaerito.
Herus te volt.

FVLCIVS

Men'?

NAEVOLVS

Te inquam.

FVLCIVS

Paullus?

NAEVOLVS

Scilicet:
Turbidus est: minus belle, puto, obdormivit nocte proxuma.

FVLCIVS

Vult fortasse iterum irasci.

BILINSKIVS

Adito.

NAEVOLVS

Perge; move te ocius, obsecro,

Ne nos teque conviciis obsurdet, si vel cesses paullulum.
Nae ventriosus iste pulcre lepidam hic vitam gerit,
Sesquipedem illum aqualiculum curans suum,
Quippe otiosus otioso in munere.
At mihi ut ulla nunquam detur defesso quies
Cave sis. Tot domini sunt qui aliquid semper imperent;
Tum sedulo faciendo facio ut nemini faciam satis.

BILINSKIVS

Mala est tota servorum natio et semper querula:
Quo demereri eos plus cures tibi, eo te plus oderint.

NAEVOLVS

Tu pro tua crassa sapientia loqueris oracula:
Ego tam exili cerebro hoc scio, amorem ab omnibus
Sibi mereri bonos, atque odium item malos.
Vt noster minor herus, vah! lepidum capitulum...

BILINSKIVS

Quid facit?

NAEVOLVS

An non merito ab omnibus feratur in oculis?

BILINSKIVS

Omitte iam
Ineptam istam loquacitatem, cucule.

NAEVOLVS

(De industria
Illum collaudavi, ut hunc male tangerem.)

BILINSKIVS

Ehodum dic, est ne is domi?

NAEVOLVS

Nescio; visam, si vis ... Sed eccum ipsum.

BILINSKIVS

Sane percommode.

NAEVOLVS

Numquid aliud?

BILINSKIVS

Hinc ut facessas.

NAEVOLVS

Ego vero admodum libens.

SCENA V

STANISLAVS, BILINSKIVS

STANISLAVS

Salvere te, mi educator, gaudeo plurimum.

BILINSKIVS

Ades opportune: tecum ipse volebam colloqui.

STANISLAVS

Monuit id modo Fulcius: tu quidquid est loquere.

BILINSKIVS

Magnae, Stanislae, mihi curae es; id quod patri
Primum debeo, qui te fidei credidit meae,
Tum etiam tibi praesertim his morato moribus.

STANISLAVS

Credo, adeo usque de me commeruisti bene;
Et si quid polliceri possum aut recipere,
Efficiam tuas ut mihi curas nunquam exprobres.

BILINSKIVS

Novi tuum ingenium liberale: nunc pervelim
Tuae prolixius servias valetudini,
Quam gravis male conflictavit aegrotatio.

STANISLAVS

Operam do.

BILINSKIVS

Sed assidue te solum degere,
Nihil laxare animum, nunquam genio obsequi
Honeste .... vin' dicam plane? id mihi non placet.

STANISLAVS

Noli, mi tu, vereri quidquam.

BILINSKIVS

Immo istuc ago,
Et mente dudum agito quod te plurimum iuvet.

STANISLAVS

Nihil tale necesse est; atque alio verius
Istas, si me amas ex animo, curas conferes.

BILINSKIVS

Etsi scio meum ius esse ut te cogam
Quae ego imperem facere, non adeo duriter
Tecum nunc tamen agam, nec pro imperio omnia.
Id quo consultum tibi sit, ego prospexero:
Tu reputa esse tuum alienis consiliis regi.

SCENA VI

STANISLAVS

Quid isthaec sibi vult oratio? quidve commoditas,
Quantam huius expertus non sum dudum antea?
Metuo ex occulto ne mihi parentur doli,
Vt vitam hanc paullatim atque hos mores exsuam.
Iampridem pugno cum malis hisce artibus,

Periculi hac in domo mihi plena sunt omnia:
Cui quave in re tuto fidam non satis scio.
Ergo quod mente verso facinus urgendum est.
Res omnes abdicare spesque noxias,
Et Loiolidum transcribere nomen agmini,
Certus decrevi. Immissum hoc mihi divinitus
Consilium diu celaram tacitus in pectore,
Prudentia ductus stulta heu! pueriliter.
At divina Mater et Mater eadem mea,
Dignata nuper me morientem visere
Filiolum in sinu gerens suum,
Postquam salvum atque incolumem eripuit e funere,
Me iussit eo properare quo dudum vocor.
Nunc ego si cum patris et fratris gratia
Istuc unquam sperarem posse perfici,
Veniam orarem, afferrem caussas, adderem preces.
Sed quoniam haec penitus interclusa mihi via est,
Deo parere decet vel eorum ingratiis.
Itaque unam mihi spem reliquam in fuga sitam,
Quo compos voti fiam, video. Clanculum
Vestes paravi ignotas, ne quis noscitet
Ex urbe proficiscentem: tum cetera
Exploravi prudens: tantum in hoc cum animo excubo,
Abeundi mihi opportuna ut detur copia.
Ea fortasse opportunitas adest prope;
Et quid facto opus sit, resque et tempus consulet.

CHORVS

Vt quondam aridulo in caespite languidum
Ponat deficiens si rosa verticem,
Blandae heu! gratia formae
Atque ostri decus interit:
Sic dum Kostkiadem non medicabilis
Morbus corripuit, continuo color
Vernantisque iuventae
Flos elanguit in genis.
Ille instare sibi funeris ultimam
Horam coniiciens, ibimus, ibimus,
Inquit: quae mora tardat
Caelestes superum domos
Visendi cupidum? Non ego perbrevis
Aevi damna mei tristia conquerar,
Dum certo fruar aevo
Felix incola siderum.
Instat sollicitis dum precibus puer
Vultum et lacrimula deterit uvida,
Summo protinus axe
Imber depluit aureus.
Et qua lux radiis pulcrior emicat,
Virgo de superis labitur arcibus,
Kostkae ut dextra clienti
Adstet Mater amans suo.
Divum laeta gerit Filiolum in sinu
Maternis religans candida brachiis,
Dignaturque beato
Prona incumbere lectulo.

Quois te tum penitis, Kostka, caloribus
Exarsisse loquar, dulcis ubi adstitit
Et Virgo tibi labris
Sermones roseis dedit?
Morbus cessit iners corpore languido,
Et membris rediit pallidulis vigor,
Diva adstante serena,
Suavis quam comitat salus.
Quid dicam, ut Puero blandus amabili
Risisti facie! ut blandus amabili
Respondit tibi divus
Risu et blanditiis Puer?
Ille haerere libens tum pueriliter
Gestivit tibi circum oscula pendulus,
Complexusque morantes
Sanctis iungere lusibus.
Verum suaviloquis quod monitum dedit
Dictis digrediens et Puer et Parens,
Fido pectore fidus
Alte insculpsit amor tuo :
« I nostram propera militiam sequi :
« Iam te Loiolidum castra manent diu;
« Aude rumpere segnem
« Felix auspicio moram ».

ACTVS SECVNDVS

SCENA I

BILINSKIVS, PAVLLVS

BILINSKIVS

Noli, Paulle, adeo praeceps agere: sed mihi
Ausculta potius.

PAVLLVS

Quid igitur suades?

BILINSKIVS

Dic fratri
Te in suburbanum ad aliquot concessurum dies;
Eoque per speciem valetudinis tecum ipsum ducere
In primis velle.

PAVLLVS

Cedo quid sit hinc profecturum boni?

BILINSKIVS

Multa hinc eventura spero commoda: primum tibi
Fratrem obligabis, ut se in posterum faciliorem tuae
Det voluntati.

PAVLLVS

Nugae.

BILINSKIVS

Mane:
Deinde erimus ibi opportune locum nacti, ut tantisper deserat

Vitae severitatem: hoc si semel obtines,
Versare illum pro arbitrio erit nobis in proclivi.

PAVLLVS

Logi.

BILINSKIVS

Denique avertemus aliquandiu ab illis suis.... (nosti satis)
Quos colit scilicet, observat, et audit unice;
Quorum usu et suasione id discit, ut in more vivendi suo
Perstet obstinatior.

PAVLLVS

Somnia.

BILINSKIVS

Scin' tu denique? His tuis
Responsionibus enecas. Quaere qui te melius consulat,
Aut ut tibi lubet facito.

PAVLLVS

Hem audi, desino.

BILINSKIVS

Vis, non vis: quid hoc malum rei est?

PAVLLVS

At sunt recte prospicienda omnia. Quid frater venisse rus
Si nolit animi caussa?

BILINSKIVS

Oportet blanda invitatione...

PAVLLVS

Fac

Blandam invitationem ab illo respui.

BILINSKIVS

Cogendus erit aliquo sollertius modo.

PAVLLVS

Cogi non potest. Quid tum? Edic.

BILINSKIVS

Tum quod in mentem venit tibi
Ab hac molestia ut te prorsus liberes, remittas volo domum:
Aliqua profecto dabitur caussa, quae facile probetur patri.

PAVLLVS

Iam non suades tantum, sed persuades probe.
Conveniam igitur statim et colloquar.

BILINSKIVS

At in primis moneo illud, ut
Blandissima oratione.....

PAVLLVS

Tu dictum puta.

SCENA II

BILINSKIVS

Hoc si quam inventum a me est astute et callide,
Tam facile processerit e sententia, initium fore video ut
Paullatim inter duos fratres coeat concordia: augeam
Sic porro unius erga me benevolentiam; itemque alterum
Etiam conciliabo mihi, cui fortasse nunc
Displiceo aliquid. Et Fulcius ipse, quem modo
Consilii huius participem feci, collaudavit maxime.
Vnum vereor, ut Paullus facilitate rem
Ac lenitate gerat: illius novi equidem ingenium satis.

SCENA III

NAEVOLVS BILINSKIVS

NAEVOLVS

Non hic durare quisquam, si sic sit, potest.
Scire equidem volo quae sit haec domini protervitas.

BILINSKIVS

Quid gannis? quid tibi vis?

NAEVOLVS

Heu heu! occidi miser:
Paullus infregit pugnum adeo clementer mihi,
Vt, nisi reflexissem collum, deiecisset ex humeris caput.

BILINSKIVS

Tuo factum merito.

NAEVOLVS

Itane? Misit me modo
Arcessitum ad se fratrem: cum renuntio
Domi non esse, mercedem liberaliter
Continuo dedit. Hem! Prope denasavit, viden'?

BILINSKIVS

Dicebam hoc eventurum: ingenio nimirum ille est praeferox;
Et vero imperavi, ut sedate vellet agere.

NAEVOLVS

Quae est haec miseria? Haeccine tandem ut perferam?

BILINSKIVS

Etiam taces?

NAEVOLVS

Nae ille continebit posthac, si sapiet, manus.

BILINSKIVS

Fratrem vidit adhuc?

NAEVOLVS

Nihil istuc ad me attinet.

BILINSKIVS

Heus? infortunium dabo, ni mihi dixeris.

NAEVOLVS

Nondum puto.

BILINSKIVS

Adibo igitur, ut eius in tempore comprimam iracundiam,
Ne mea cogitata coeptaque disturbet male.

SCENA IV

NAEVOLVS

Enimvero meus herus cerebrosus est satis;
Sed si ei aliquando ob fratrem cerebrum finditur,
Insanit, obvioque parcit nemini.
Atqui ego scio cur immerentem illum oderit,
Et in extremas terras amandatum velit.
Nimirum nimis ab illius probis moribus intelligit
Reprehendi vel tacite satis ineptos suos.
Ea cruciatur gratia et corde uritur....

(BILINSKIVS *adveniens cum* PAVLLO)

(Stanislaum mox huc adducet Fulcius.)

NAEVOLVS

Eheu! par coiit optimum. Cavebo prudens; nec hodie
Istis dolandum tergum committam meum.

SCENA V

BILINSKIVS, PAVLLVS

BILINSKIVS

Nonne iam multus monueram, ut te compesceres?

PAVLLVS

Dedi operam : at postquam renuntiavit Naevolus
Fratrem non esse domi, non frustra suspicans
Illum aut in templum isse, ut consuevit, proximum,
Aut apud illos nigros bipedes commorarier,
Quos sibi magistros virtutis esse deputat,
Ibi nonnihil concalui vel invitissimus.

BILINSKIVS

Nunc ergo comprime te, et fratrem adeuntem bono
Sermone, vultuque perquam benignus excipe.
Tibi certe facilem fore facilius senties.

PAVLLVS

Nescis quantam rem et quam difficilem postules:
Expertus ipse vereor a me ut impetrem.
Nam quoties in conspectum sese ille dat meum,
Obstipo capite, obliquo collo, more virgunculaę oculis
Demissis, inepta verecundia tinctus genas,
Tunc atra statim ad nares mi bilis subsilit,
Tumet iecur, totus ardeo, me continere non queo.

BILINSKIVS

Fac possis.

PAVLLVS

Dubito an possim.

BILINSKIVS

Tuum sensum calleo: at enitere.

PAVLLVS

Non possum immutarier: sed enitar tamen.

BILINSKIVS

Tu vultum iam nunc etiam et animum compara:
Namque imparatis accidere res difficiliores solent.

PAVLLVS

Quid me igitur iubes?

BILINSKIVS

Vultum primum fac tetricum
Deponas, torvumque supercilium.

PAVLLVS

Quomodo?

BILINSKIVS

Caperatam istam frontem exporge paullulum.

PAVLLVS

Assimulabo: contemplare: hem! sic satin' erit?

BILINSKIVS

Garris.

PAVLLVS

Sic satin' est?

BILINSKIVS

Non adhuc.

PAVLLVS

Quid si sic?

BILINSKIVS

Propemodum.

PAVLLVS

Quid si sic?

BILINSKIVS

Sat est:
Hem serva; et salutato blande primitus:
Apud te fac sis.

PAVLLVS

Fiet sedulo: verba expiscabor; at ....

BILINSKIVS

Ecce adest ipsus cum Fulcio; prior occupa,
Accede. Primus occursus timendus est.

SCENA VI

PAVLLVS, STANISLAVS, BILINSKIVS, FVLCIVS

PAVLLVS

Satin' salve, mi frater o bellissime?

STANISLAVS

Satis: et est superis gratia.

PAVLLVS

(Haec tria principio verba ex ore aegre admodum
Elicui invitus, mi, frater, bellissime.

BILINSKIVS

Egregie: agedum animum nunc obfirma tuum.)

PAVLLVS

Gaudeo primum tua caussa, tum etiam mea.

FVLCIVS

(Nunquam cum fratre Paullum aeque urbanum antehac
Vidi, aut tam commodum.)

BILINSKIVS

(Equidem ipse crederem,
Istius ni nossem sensum, vere hunc loqui.)

STANISLAVS

Benigne dicis, et merito te deamo:
Me arcessitum abs te significavit Fulcius.

BILINSKIVS

In hoc quippe res vertitur.

PAVLLVS

Dicam paucis: inter meque et hos convenerat
Dudum, relicta ut urbe et hac frequentia
In suburbanum nobis aliquantisper hinc
Libeat concedere: honestus una ibi aderit
Iucundusque comitatus adolescentium,
Quibuscum genio indulgeamus libere
Et laetis voluptatibus.

BILINSKIVS

(Hoc tacito oportuit:
Ego vervex non praemonui oblitus scilicet)

STANISLAVS

Equidem non intervertam vestra commoda.

BILINSKIVS

Te secum in primis adesse Paullus expetit.

PAVLLVS

Istuc est.

FVLCIVS

Quippe officium frater suum putat
Valetudinis habere rationem tuae.

STANISLAVS

Audio; et gratia est: sed tamen . . . .

PAVLLVS

Quid est istuc tamen?

BILINSKIVS

(Exarsit.) Sine eum, amabo, loqui quae sentiat.

PAVLLVS

Dixin' hoc fore, et mihi hunc adversaturum statim?

STANISLAVS

Harum, frater, voluptatum nunquam appetens
Fui, quod tute nosti: in primis quod sciam,
Vix istas ullum posse probitati locum
Relinquere et continentiae et bonis artibus.

PAVLLVS

(Cantilenam iste veterem mihi assidue canit.)

BILINSKIVS

Ha, ha, ha! Stanislae, mihi risum moves
Cum inani istoc metu.

PAVLLVS

(At movet stomachum mihi.)

FVLCIVS

Quin tu, quaeso, otioso et securo es animo:
Hi tibi tuta praestabunt a periculo omnia.

PAVLLVS

An non certas voluptates convenire maxume
Nostrae huic aetati sapientes ipsi docent?

STANISLAVS

Si lubet, has tu sectare: ego vero hanc unice
A puero condidici, Paulle, sapientiam,
Me non caducis natum sed immortalibus
Debere aeterna, non caduca quaerere.

PAVLLVS

(Disrumpor.)

BILINSKIVS

Hoc a te audivimus plus millies;

Et nos, opinor, refutavimus plus millies:
Nam id apprime in vita utile esse censeo, ne quid nimis.

FVLCIVS

Neque absurda ea vox est: in rebus omnibus ut sit modus.

PAVLLVS

Tune hunc pervicacem flectas, qui id studio sibi
Semper habet, studiis ut semper obsistat meis?

STANISLAVS

Nolim, mi frater, sic animum inducas tuum.

PAVLLVS

Facesse hinc.

BILINSKIVS

Quaeso, ad te redi: hic diligentius
Secum statuet, quid facto usus sibi siet.

FVLCIVS

Non gravate faciet quod tu vis. Ego spondeo.

PAVLLVS

Tune hoc recipis? Vah .... mecum huc adesto.

FVLCIVS

Subsequor.

SCENA VII

BILINSKIVS, STANISLAVS

BILINSKIVS

Quid dicis?

STANISLAVS

(Nec opinatum hoc fratris consilium
Cum mihi cetera incommodat, tum illud potissimum
Quod abitum meum parabam hinc hos ipsos dies.)

BILINSKIVS

(Secum dubitat: bene est: aliquid speculae subest.)

STANISLAVS

(Advigilandum est recte, ne sic forte opprimar.)

BILINSKIVS

Anne haeres?

STANISLAVS

Ego quid expediat perspexero.

BILINSKIVS

Esse nolo molestus, quando per te sapis:
Facito ergo ut quod aequum est cum animo cogites.

CHORVS

Ecquid miseri quid miseri agimus
His inhiantes pro pudor! omnes
Fluxis avide rebus, nati
Ad caelestes? Quid iuvat agri
Si bene laeta nostri segete
Luxurient, et rideat auro
Nostra et multo domus argento,
Atque prematur divitiarum
Pondere multo? quid si vigili
Vsque beatus vacuam cura
Agites vitam, deliciaeque
Geniales te large satient?
Aut si tumidae tollant aurae

Aetherias te celebrem ad sedes;
Et penna, quae metuat solvi,
Agat aeternum fama superstes?
Felix Kostka, o puerorum hilaris
Floscule, teneris qui puer annis
Alios animo docili imbiberas
Sensus! « Non his ego, non istis
Fluxis natus: nimium pudet heu!
Has adamare, et misere nostrum
Exercere his nobile pectus.
Spernam haec, fugiam: iuvat aeternis,
Ad quae faciles superi vitam
Mihi donarunt, vivere· bona me
Certe haec capiunt una, meumque
Animum semper capient una ».
Haec tu loqueris verba puerulus,
Kostka, frequens: nec, quae nos adeo
Cupimus caeci, lumine pateris
Despicere humili. Frustra allicere
Blanditiis te iucunda suis
Aetas ambit, quaeque refulget
Opibus domus et nomine proavûm.
Nihil haec possunt tentare animum,
Virtute sua qui validus stat;
Olim ut saevis rupes ventis
Obvia, rabidi quam circum se
Caerula ponti frangunt tumida.

ACTVS TERTIVS

SCENA I

STANISLAVS, FVLCIVS

STANISLAVS

Ain' vero, Fulci? Fratrem id secum agitare animo, ut mittere
In paternam me velit domum?

FVLCIVS

Verum; et quam primum quidem,
Si te nihilo iam sibi propensiorem factum senserit.

STANISLAVS

Scin' adeo certe?

FVLCIVS

Accepi ex eius ore hisce ipsis auribus.

STANISLAVS

Non video quam tandem huius rei caussam afferre is possit patri.

FVLCIVS

Au! nimium, o here, simplex es (non vereor coram in ore libere
Loqui): vera caussa non suppetet; facile id dabo.
Quid autem? Non ille comminisci poterit et aliquam et fingere,
Quae videatur probabilis? Et vero secum Bilinskium
Habet, harum qui rerum scitus consultor est et callidus.

STANISLAVS

Quid igitur censes?

FVLCIVS

Ego si in isto loco essem, prudens tempori
Inservirem, quantum ius fasque satis sinerent.

STANISLAVS

Intelligo.

SCENA II

NAEVOLVS, FVLCIVS, STANISLAVS

NAEVOLVS

Heus, Fulci, Fulci.

FVLCIVS

Ecquis me? . . . o lepidum caput,
An censes me surdum esse qui sic clamites?

NAEVOLVS

Res urget. Basiliscus ille noster pessumus . . . .

FVLCIVS

Quem basiliscum narras?

NAEVOLVS

Vah! Bilinskium optumum
Volui dicere; te vult cum tibi erit commodum.

FVLCIVS

Conveniam statim: nunquid aliud me vis, here?

STANISLAVS

Superi te ut sospitent, mi Fulci, ita mihi vir
Benevolus et bonus es.

FVLCIVS

Tua caussa omnia
Volo: debere id me tibi certo scio.

SCENA III

NAEVOLVS, STANISLAVS

NAEVOLVS

O mi here.

STANISLAVS

(Nova nunc res mihi obiecta est, quae molestiam creat
Multo maiorem.)

NAEVOLVS

(Non advertit: aliqua in re potissimum
Haeret mente defixus.)

STANISLAVS

(Quid ego nunc verso, quidve cogito?
Tot me undique circumveniunt, ut nisi maturare iam paro
Abitum, meis omnem inveniam votis interseptam viam.)

NAEVOLVS

(Nescio quid tacitus loquitur.)

STANISLAVS

(Mihi quidem occurrunt plurima
Quae sunt discriminis plena omnia. Verum mea coepta provehent
Suo caelicolae auxilio...) Hem, Naevole, hic ades?

NAEVOLVS

Equidem dudum: at curas volventem animo graves
Nolui laevus interpellare. Ceterum quod cum his praeposteris
Capitibus conflicteris, doleo valde et me miseret tui.

STANISLAVS

Ista quaeso noli sentire.

NAEVOLVS

Immo addo aliud, dum ne impudens modo

Nimium videar: fratri quidem temet plus aequo subiicis,
Atque adeo ut vestem mundes, purges calceos,
Aliaque facias, quae nos minutos servulos
Curare deceat.

STANISLAVS

Maiori natu minorem servire convenit.

NAEVOLVS

Hinc beneficium tibi benemerenti perpulcre munerat;
Hui perpulcre! te cum indignis exercet et vexat modis.
Ego vero quamquam bucco, blennus, stipes, asinus, cetera,
Nunquam sane ferre possem eius insolentiam.
Vellem quidem excuteres te, ut ille sentiret esse te virum.

STANISLAVS

Tace, obsecro: nescis quanta ex illo profecta in me fuerint bona.

NAEVOLVS

Nimirum maledicta et verbera.

STANISLAVS

Ego nunc alio avocor. Vale.

SCENA IV

NAEVOLVS, BILINSKIVS

NAEVOLVS

Aut ego fallor, aut in pectore meus hic herus
Magnam occultat curam. Benigne me prius
Saepe compellabat, ac pene familiariter:
O Naevole noster, salve; quid fit? quid agitur?
Ego, ut assolet: quid? sustento sedulo.
Tunc ille pronis instillabat auribus
Rerum caelestium dicta, oratione quam suavissima.

Haud ita pridem occepit ille vultu ire gravior,
Et licet de facilitate nihil remiserit,
Ipsam videtur collocutionem defugere omnium.
Frustra non haec eveniunt, nisi si quid latet,
Quod ego non admodum prudens intelligo.

BILINSKIVS

(Ehem! quid iste loquitur? audire clam volo.)

NAEVOLVS

Atqui metus profecto accedit verior.
Namque egomet modo cum curarem huius cubiculum,
Atque ut solet munditias facerem sedulus
Vt forent vorsa, strata, lauta, tersaque omnia,
Manum forte ad sepositam admovi capsulam:
Aperio, scrutor, excutio diligentius,
Atque ibi vestem nugasque peregrino idoneas
Reperio intus, quae mi moverunt suspicionem maxumam.

BILINSKIVS

(Pro superi! quid haec portendunt?)

NAEVOLVS

Ego vero statim
Cuncta composui, et statui in sinu celare quae perspexerim.
Nam didici servos operam praestare dominis
Fidelem debere, taciturnitate in primis ac fide.
Quin si vel Paullus haec rescisceret aut vafer
Ille Bilinskius, heu! quales quantasque turbidi
Turbas excitarent pueri insontis in caput.

BILINSKIVS

(Inscius huc sane veni in tempore.)

NAEVOLVS

Sed tamen....

BILINSKIVS

(Quid cesso aggredi?) Naevole.

NAEVOLVS

Tu quisquis es
Satis pro imperio. (Hui hui! Bilinskius hic est, neque praevideram.)

BILINSKIVS

Quid ais, o bone?

NAEVOLVS

Qua de re?

BILINSKIVS

Rogas? Quaedam modo
Tute mussitabas.

NAEVOLVS

Factum.

BILINSKIVS

Quid istuc erat?

NAEVOLVS

Nihil.

BILINSKIVS

Ehodum nihil?

NAEVOLVS

Nescio quid meum iurgabam.

BILINSKIVS

Nugas agis:
Pergin' sic consuere mendacia? Non tu ipse memet nomine
Appellasti modo? An non ego praesens quae dixti cetera
Audivi?

NAEVOLVS

(Heu! perii: nec quid dicam aut comminiscar sat scio.)

BILINSKIVS

Hem! deprensus haeres scilicet. Quin tu statim
Quidquid habes aut plane exprome, aut eiicieris foras statim.

NAEVOLVS

Bona verba, quaeso.

BILINSKIVS

Statim eloquere.

NAEVOLVS

Saltem sine animam recipiam:
Adeo me miserum urges.

BILINSKIVS

Eloquere inquam: aut ego....

NAEVOLVS

Nuper... nuper... at obsecro, ut ea quae tibi proloquar
Tacitus serves, nemini ut quidquam accidat mali.

BILINSKIVS

Si me, pessime, diutius irritassis....

NAEVOLVS

Iam dicam: mane.
Heri minoris nuper curans cubiculum
Inspicio forte in angulo quamdam latere capsulam.
Exquiro curiosus.

BILINSKIVS

Quidnam illic erat?
Expedi.

NAEVOLVS

Vestem inveni filo crasso admodum
Et levidensi viatoriam.

BILINSKIVS

Quid postea?

NAEVOLVS

Zonam, petasum, sarcinulam viatoriam.

BILINSKIVS

Audio. Nunquid aliud?

NAEVOLVS

Cucurbitulam ad aquae usum viatoriam.

BILINSKIVS

Equidem
Miror. Vnde aut quorsum habet haec?

NAEVOLVS

Ego tantundem scio,
Quantum tu.

BILINSKIVS

(Num occulte meditatur ire peregri? Num fugam
Adornat aliquo? at quo demum? qua de caussa? Nihil satis
Coniicio.)

NAEVOLVS

(Commovi hominem.)

BILINSKIVS

(Dein ut longum iter
Clam a suis instituat, ea verecundia qua est adolescentulus,
Iam gracili corpore, idemque a morbo recens,
Non haec mihi quidem videntur verisimilia.)

NAEVOLVS

(Heu! secum nunc putat, qui possit aegre facere hero optimo.)

BILINSKIVS

(Tamen his indiciis nonnihil certe subest.)
Dic mihi: vidisti tute haec quae dixti omnia?

NAEVOLVS

Verum.

BILINSKIVS

Atque ea in minoris heri cubiculo?

NAEVOLVS

Verum.

BILINSKIVS

Vestem, petasum, zonulam, cucurbitulam,
Sarcinulam viatoriam?

NAEVOLVS

Verum.

BILINSKIVS

Satis est. (Non huic indormiam
Profecto rei segniter: inquiram subdole;
Scibo. At quis est? Ipse, ni fallor, Stanislaus cum Fulcio
Huc advenit. Dissimulare nunc quidem lubet.)

NAEVOLVS

Quid quod te oravi, ut istud quod dixi omnibus
Clam siet?

BILINSKIVS

Abi tandem in rem malam, pessume.

NAEVOLVS

Pro more tuo benigne ac liberaliter.

SCENA V

BILINSKIVS, STANISLAVS, FVLCIVS

BILINSKIVS

O bone Stanislae, ecquid demum nobis apportas boni?
Speremne te aliquando obtemperaturum, ut decet,
Fratri?

STANISLAVS

Nulla erit in me mora, si honesta ille rectaque imperet:
Vbi secus faxit, mihi certum est neque blanditiis, neque minis
A recto virtutis officio vel tantillum discedere.

FVLCIVS

(O responsionem pectore dignam nobili!
Paullus ad hunc fratrem suum profecto est somnium.)

BILINSKIVS

Atqui tu de rebus inepte ac male iudicas.

STANISLAVS

An quod ego ab vulgo hominum prorsus dissentio,
Quos agit rerum praesentium vana cupiditas,
Ea tantum gratia inepte ac male iudico?
Vide, an sit aequum ut aeternis natus bonis
Animus curet fluxa haec.

FVLCIVS

(Eugepae! Bilinskium
Magistrum haec sane vox una iugulat probe.)

BILINSKIVS

Nihil omnino hoc ad rem quam quaero pertinet.

FVLCIVS

(Verum dicit nam nescit quid respondeat.)

BILINSKIVS

Quaero an sis iturus tuo cum fratre rus,
An non? Satis nondum decresti?

STANISLAVS

Cognitam
Existimo et perspectam nunc esse vobis meam sententiam.
Oblectationes has, convivia, ludicra....

BILINSKIVS

Inceptas orationem denuo, quam plane memoriter
A te didici: mitte.

STANISLAVS

Equidem velim ut ne in partem accipiatis malam
Voluntati quod vestrae huic non me accommodem.

FVLCIVS

(Excidisti tua spe: non frustra ego praedixeram.)

BILINSKIVS

Age nunc, age pertinax pro tua libidine;
Insanientem fratrem instiga quam potes:
Malo id eveniet tuo. At quoniam aliquid machinaris et paras
Quo fratri vel mihi displiceas, scito non occultum esse te.

STANISLAVS

Egone ut vobis displicere ausim an possim sciens?

BILINSKIVS

Tu adverte nihil te conari, quod non sex totis mensibus
Quam tute coeperis mea diligentia olfaciam prius.

STANISLAVS

(Hem! anne id, quod tacitus in animo gero meo,
Consilium suboluit huic?)

BILINSKIVS

Taces vero?

STANISLAVS

Non equidem intelligo,
Quid dicas; circuitione adeo obscura tu nunc uteris.

BILINSKIVS

Non? hem! alias ego faciam ut intelligas.

STANISLAVS

Mane, quaeso: audi me vel paullisper.

FVLCIVS

Abiit

Subiratus: sed tu noli, here mi, fidere huic.
Ambiguo pectore est, ambigua lingua: tale hominum genus
Astutum plus timeo, quam qui palam faciunt iniuriam.

STANISLAVS

Tu noli, Fulci, istuc in animum inducere:
Hunc ego semper erga me sum expertus optima
Voluntate, fide, studio et benevolentia.

FVLCIVS

Coniecturam aliorum ex ingenio facis tuo.

STANISLAVS

Quiddam nunc, o Fulci, curo; neque otium est.

FVLCIVS

Me quoque res curare meas convenit. Vale.

CHORVS

Credat hoc quisquam? Ferus ut suaeque
Impotens mentis, truculentus, audax
Frater immiti penitus medullas
Aestuans ira innocuum, tenellum
Perfida fratrem ratione pergat
Perdere? O mores nivei! o pudici
Pectoris virtus sociare amorem
Nata! Tune atrox odium lacessas?
Namque quae Kostkae nitet in decoro
Pulcra laus vultu studiumque honesti
Vrit heu! fratrem male dissolutum,

Turbidos subdens animo furores.
Ille, cum tristis iecur ulcerosum
Bilis invasit puerum minari,
Impotens linguae vomit ore dicta,
Quae cient saevas inimica rixas.
Ille crudeli rigidam flagello
Dexteram attollens ferus immerentis
Saepe formosos laceravit artus;
Aut humo abiectum pede pertinaci
Pressit insultans. Bonus ipse acerbum
Lumine adspectas placido atque dulci
Voce compellas, Puer alme, fratrem.
Quid iuvat miti in facie renidens
Gratia et sermone placens modesto
Comitas? Frater nihil his movetur,
Ira nec corde in tumido residit.
Res at humanas superi potenti
Numine accurant: studiosa virtus
Pressa si nisu iacet olim iniquo,
Rursus attollit caput atque clara in
Luce refulget.

ACTVS QVARTVS

SCENA I

FVLCIVS, BILINSKIVS

FVLCIVS

Nullam ego timoris istius caussam video :
Quam enim tu suspicaris ex illarum indicio vestium
Ab Stanislao parari fugam, valde mihi
Ea suspicio videtur esse frivola.

BILINSKIVS

Attente sane cum circumspecto omnia,
Suspicionem hanc omnem facile abs me segrego :
Quaedam tamen cura haeret in animo, nec possum evellere.

FVLCIVS

Vin' dicam quod nunc in mentem venit mihi?

BILINSKIVS

Quid est?

FVLCIVS

E gravi morbo elapsus nuperrime
Iturum se peregrinatum vovit aliquo,
Pro valetudine exorata reddat ut caelitibus gratias.

BILINSKIVS

Idem ego coniectavi admodum. Verum hoc sinam?
Eo ut habitu, erronis more vel mendiculi,
Iuvenis illustri loco natus peregre abeat?
Quid dicet si resciseeret eius pater?
Equidem prohibebo.

FVLCIVS

Potes prohibere cum lubet.
Dixistin' adhuc illi quidquam?

BILINSKIVS

Non.

FVLCIVS

Quamobrem?

BILINSKIVS

Quia cautio est:
Nam de suo consilio posset me celare si interrogem.
Diceret: an non licet haec habere me? num vobis indidi
Suspicionis aliquid? an imperiis vestris non usque parui?

FVLCIVS

Recte vides. At me praesente iactasti subobscuras minas.

BILINSKIVS

Prudens feci, ne si quid moveret animo inscium me forte crederet,
Demum ut ut isthaec res se haberet, continerem illum metu.

FVLCIVS

Astute. Paullo dixti?

BILINSKIVS

Nondum: vereor enim ne insaniat
Audiens. Nam scin' iracundia plus nimio in fratrem nunc tumet.

FVLCIVS

Ain' vero?

BILINSKIVS

Factum: cum enim indicaverim
Fratrem rus ire secum nolle, clamare, minari illico:
Aegre iram repressi, ne in magnum aliquod evaderet malum.

15

SCENA II

NAEVOLVS, BILINSKIVS, FVLCIVS

NAEVOLVS

Obsecro, amabo, ne cesses auxilium ferre innocenti hero:
Praeverte actutum quidquid instat mali.

BILINSKIVS

Quid hoc
Negotî est?

NAEVOLVS

Vah! adeo fratri fratrem esse inimicum posse! quem
Nec natura movet, nec sanguinis coniunctio,
Nec pietas aut lex ulla.

FVLCIVS

Dic quid est, nam nimium haec iam tua
Nos dicta exanimant.

NAEVOLVS

Hoscine mores! oh imprudentiam! oh scelus!
Oh factum impium!

BILINSKIVS

Id agis quod quaero, an non?

NAEVOLVS

Mirum e Paulli manu
Si vivus Stanislaus elabitur.

FVLCIVS

Superi istud!

NAEVOLVS

Accesseram
Ad huius cubiculum, cum intro cognovi esse ambos.

BILINSKIVS

Fabulam
Ab initio orditur.

NAEVOLVS

Ego suspenso gradu ire perrexi ad fores:
Adstiti, animum coepi attendere.

FVLCIVS

Noli tam multus fabulari.

NAEVOLVS

Ne me interpella, mane: primo iurgantem Paullum exaudio,
Demisse alterum paucaque respondentem: sed mox ille optimus
Magnos effundere clamores coepit verbis insanissimis,
Convicia, contumelias: crederes ablatrantem canem.
Quid plura? ingentem tumultum audio; credo in capillum involasse, vel
Baculo, pugnis, calcibus fratrem occepisse depexum dare.

BILINSKIVS

Redit in mentem illud de rure; ideo has turbas certe movet.

FVLCIVS

Heus tu accurre citus.

NAEVOLVS

Adpropera inquam.

BILINSKIVS

Mihi facilius nihil
Quam in tranquillum subito conferre tempestatem hanc maxumam.

SCENA III

NAEVOLVS, FVLCIVS

NAEVOLVS

Quin vero dierecta abi, legirupa pessime,
Malorum quotquot heic sunt suasor atque impulsor omnium.

FVLCIVS

Num te quoque intemperiae agitant, Naevole?

NAEVOLVS

Ita ob aegritudinem
Mihi cerebrum circumvolvitur, ut in pistrino mola.

FVLCIVS

Iam non hic unus tantum insanit. Verum ego
Praeclaram illam vocem didici: Rumores fuge. Vale, Naevole.

NAEVOLVS

Nae iste etiam bellus homo est. Nunc illa res
Me mordet, insons herus ne caussa male sic plectatur mea.
Indicium certe Paullus accepit illarum vestium: hinc ipsus furit
Et fratrem mulcat improbus. At Bilinskio, qui harum est caput
Turbarum, si possem aliquid aegre facere, vah! quam facerem libens.
Quid faceres? dicet quis: in eum
Prius evomerem omnem stomachum; tum linguam exscinderem radicitus;
Deinde oculos pulcre eliderem, itidem ut sepiis faciunt coqui;
Postremo tandem .... Sed cuncta plane aperte nolo dicere,
Nam fortasse nihil facerem.

SCENA IV

BILINSKIVS, NAEVOLVS, PAVLLVS

BILINSKIVS

. . . Non expostulas iniuria.

NAEVOLVS

(Cuia est haec vox? Ille ipsus est de quo agebam.)

BILINSKIVS

Nimium pectoris

Aestum compesce.

NAEVOLVS

(It Paullus secum; ut oculis ardet! Vae mihi
Si forte adspexerit: concedam hunc in angulum
Vt horum blandiloquentiam tutus audiam.)

PAVLLVS

Haec ego ab illo ut patiar? neque irascar? nec prorsus clamitem?

NAEVOLVS

(Exordium placet.)

BILINSKIVS

Verum dicis.

PAVLLVS

Nullam reverentiam
Maiori natu adhibere dictis factisve?

BILINSKIVS

Hoc usque scilicet
Peccat.

PAVLLVS

Sedate ipsum monere coeperam:

NAEVOLVS

(Sedate inquit ?)

PAVLLVS

Tum ille indignantis specie et vultu arduo
Scin' quid responderit? « Profecto si ad hunc habere me modum
Pergas, discedam hinc; tu vero rationem reddes parentibus,
Paulle ».

BILINSKIVS

Tantum ausus est?

NAEVOLVS

(Immo si me audisset, esset ausus magis.)

PAVLLVS

Totus mi ebullit sanguis cum haec cogito.
An ego unquam adeo impudentem credidissem, ut vellet insuper
Me lacessere? Abeat, excedat, evadat, non do veniam, incito.
Immo etsi nolit, ipse eiiciam: assiduc iam tuli diu
Qui male memet cruciat, atque mea felle adspergit gaudia.

NAEVOLVS

(Dixin' egò propter illas vestes esse istuc iurgium?
De discessu agit hic.)

BILINSKIVS

Quiesce: ego quid opus sit videre.

PAVLLVS

Quiescam? Hinc fratrem amandari . . . . .

BILINSKIVS

Amandabitur

PAVLLVS

Quamprimum.

BILINSKIVS

Fiet.

PAVLLVS

Sed ut redire nunquam ante oculos queat meos.

BILINSKIVS

Fiet.

NAEVOLVS

(Malus ut obsecundat!)

PAVLLVS

Ardeo adhuc imis pulmonibus.
Volo parumper captare auram, ut me hac ira refrigerem.

BILINSKIVS

Credo id proderit apprime.

PAVLLVS

Quod dixi memineris.

BILINSKIVS

Tace.

SCENA V

BILINSKIVS, NAEVOLVS, *deinde* FVLCIVS

BILINSKIVS

Ego huic cum fervet maxume, obsequor maxume
Tam placidum ut reddam quam est ovis: namque ubi nimius deferbuit
Ille aestus, facile impello quo volo. Nunc idem eveniet spero.

NAEVOLVS

Credo scilicet.

BILINSKIVS

Quis hic loquitur? Tu, Naevole?

NAEVOLVS

Ego ipsissimus. Nempe rem pulcram incoeptastis, quantum audio.

BILINSKIVS

Quid ais?

NAEVOLVS

Hinc amandare vultis minorem herum.

BILINSKIVS

Tu ne ista curas? Os ferreum vide! Ito iam lautum patinas,
Aut quod dicere nolo: nam si te posthac unquam sensero . . .

NAEVOLVS

(Crabronem excitavi: fugio hinc, nam scapulae mihi perpruriunt.)

BILINSKIVS

O servulum audacem et maleficum! Vt sese rebus omnibus
Immiscet, et odoratur omnia.

FVLCIVS

Heus agedum, tecum ille vult
Quiddam consulere.

BILINSKIVS

Quisnam?

FVLCIVS

Paullus.

BILINSKIVS

Hinc a me abiit modo.

FVLCIVS

Sic est.

BILINSKIVS

Quid facit?

FVLCIVS

Auram captat.

BILINSKIVS

Optume.

SCENA VI

FVLCIVS, *deinde* STANISLAVS

FVLCIVS

Iamdudum dubito quorsum haec evasura sint:
Adolescens calidus, liberioris appetens
Vitae, magistrum nactus qui conniveat
Aut sibi obsequatur, ecquid daturus est spei?
Non vult imitari? Sineret saltem illum alterum
Virtutem, pudorem, continentiam
Suo sectari arbitrio .... Sed eccum. Salve, mi here.

STANISLAVS

Fratrem quaerito: vidistin'?

FVLCIVS

Cum Bilinskio est.

STANISLAVS

Adibo.

FVLCIVS

Irato noli occurrere.

STANISLAVS

Istuc ago,
Quomodo fratris animum exulceratum mitigem.

FVLCIVS

Tu vero cavebis, si me audis et diligis.

STANISLAVS

Quamobrem, Fulci?

FVLCIVS

Ne gravius illum asperes:
Si vis monebo te, cum erit opportunitas.

STANISLAVS

Habeo gratiam.

FVLCIVS

(Quam multa huic perferenda sunt!
Neque ego iuvare opere vel consulendo queo.)

SCENA VII

STANISLAVS

Ei quam dudum meditor peragendae rei
Aut haec praeclara est occasio, vel nulla est futura in posterum.
Frater quamquam dissimulet, in id tempus imminet animo
Quo me remittat domum ad patrem:
Praeterea Bilinskius, quantum ex eius abdito
Et ambiguo sermone intellexi, illud scilicet
Suspicatur quod est, me tacitam moliri fugam.
Nullam ergo interponendam decrevi moram:
Inveniam caussam, qua istis curam omnem parumper eximam,
Ut ne de profectione mea quid cogitent,
Meque alibi versari non abiisse existument.
Iter capessam pedes, atque alienis ignotus vestibus;
Nec usquam peregrinandi finem fecero,
Donec exposcenti atque exoranti denique
Aliqua Loiolidum mihi patescat domus.
Qui erit, haec cum rescierit, mei dolor patris,
Qui me amat unice? Vos ego testor, superi, tamen
Quod nulla mihi tutior sese monstrat via
Aut spes parendi vestris monitis. Te quoque
Ignarum, frater optime, discessus mei

Cogor linquere, inque salutatum, cum alloquar
Postremum. O frater mihi vita ipsa carior!
Nunc tute vale, vos et valete ceteri,
Qui fide meriti de me fuistis optima.
Sed tu, caelestis Virgo, mea dulcis Mater,
Amor meus omnis, quae memet revocasti a mortis limine,
Quae vultu, alloquio, risuque beasti tuo,
Si tua nunc iussa exsequor, si laetus ac volens
Omne adeo et subeo discrimen, ut placeam tibi,
Mi felix ades, tu dubii dux esto itineris,
Tuque meis orsis da successus prosperos.

CHORVS

Ibis caelicolum praesidio potens,
Quo te vis animi ducit in arduos
Ausus: eia agedum proripe lubrica
Tete, Kostkiades, domo.
Virtus edocuit plus nimio tua
Quid pugna valeas fortis in horrida:
Idem tute feres nunc decus insolens
Clara nobilior fuga.
Num fallor? trepidis e penetralibus
Securo egreditur clam pede; et inscius
Quem coeptis statuant fata modum suis,
Inclemens iter arripit.
Tecti liminibus dum vagus exsilit,
Curis ambitio septa sequacibus

Illum torva tuens respicit, et graves
Intentat digito minas:
Sese mox profugum qui revehant retro
Acturam biiugos praecipiti rota,
Terrens increpitat: sed vacuos puer
Ridet praeteriens metus.

Nam secum, alma cohors, it lateri comes
Simplex Integritas, et roseus Pudor,
Et constans animi robore Firmitas,
Et recti retinens Fides.

Caro non metuet tutus ab agmine
Vtcumque indociles ire alacer vias,
Seu silvas subeat solus inhospitas,
Seu scandat iuga montium.

Sublimi quoties lassus anhelitu,
Sudore graciles et madidus genas,
Heu! frustra gelido exstinguere rivulo
Siccam discupiet sitim.

Longa saepe etiam deficiens via,
Cum caelum tenebris nox teget humidis,
Sive antri in latebra sive sub obvia
Deponet latus arbore.

At Spes, quae facie praenitet aurea,
In rebus trepidum fulciet asperis;
Tum risu et facili colloquio novas
Vires sensibus ingeret.

Dicetque: « egregii nobile pectoris
Vrge propositum; pulcra laboribus
Meta est certa tuis: te bene compotem
Votorum superi dabunt ».

ACTVS QVINTVS

SCENA I

NAEVOLVS

Oh caelum! oh maria! oh tellus! ut brevi momento temporis
Res insperatae intercidunt homunculis,
Quas nunquam fore vel somniando quidem putent.
En ipsam hanc domum repens occupavit sollicitudo et calamitas:
Quid istuc rei est? Minor evasit herus cunctis imprudentibus.
Nam cum domi non adesset, quo semper consuerat tempore,
Mirari omnes: hora interim decurrit una, tum altera,
Dein tertia; nec usquam ipse apparet, aut qui de ipso nuntiet.
Vereri tunc coeperunt, ne aliquod offendisset in malum:
Ego ibi lustrare iussus urbem, omnes percursavi vias
Et omnes angiportus: ut vero quemquam habebam obvium:
Ehodum, dic, amabo te, vidisti adolescentulum
Capillo flavo, oculis nigris, roseo colore tinctus genas?
Negabant omnes, meque iam pudebat: redii ergo domum
Lassatus plane, nam cursu atque anhelitu
Vix ramices non rupi et exspui sanguinem.
Illi hac perculsi cura in pueri cubiculum
Irrumpunt trepidi; nec viatoriis repertis vestibus,
Quas ego ipse prius clam depositas adverteram,
Clamant fugisse, coeunt in consilium, fugientem insequi

Decernunt, horsum aut istorsum aut illorsum plane nesciunt.
Tandem committunt sorti rem: Paullus, Fulcius, Bilinskius,
Conscenso cisio et equis quam celerrimis,
Dudum abiere; solus hic ego restiti servandis aedibus.
Penum primo adii, ubi arbitratu meo
Detruncans pernam et cyathum sorbillans unum vel alterum,
Curavi stomachi pedumque lassitudinem.
Expecto nunc satur dum redeant.... At st, num concrepuit foris?

SCENA II

NAEVOLVS, FVLCIVS

NAEVOLVS

Heus, Fulci, iamne vos adeo rediistis? ubi est herus?

FVLCIVS

Paullisper hic in proximo apud nobilem et familiarem virum
Cum Bilinskio substitit; mox huc adveniet.

NAEVOLVS

Vt vobis cessit iter?

FVLCIVS

Male.

NAEVOLVS

Etsi non dixisses, ex vultu coniiciebam tuo.
Quid ergo narras?

FVLCIVS

Mira plane, Naevole.

NAEVOLVS

Dic, obsecro, namque audiendi mihi facis pruriginem.

FVLCIVS

Digressi a porta, quae respicit meridiem ,
(Ex ea enim exisse Stanislaum est visum vero proxumum)
Multam alacres confeceramus citatis equis viam, cum vidimus
Peditem peregrini habitu iuvenem. . . .

NAEVOLVS

Ohe, anne is erat?

FVLCIVS

Tanta obsederat
Caligo mentes, ut animum nemo nostrum tunc advorterit.

NAEVOLVS

Dic mihi, quo colore erat vestis?

FVLCIVS

Ferme nigro.

NAEVOLVS

Vt erat ille petasatus?

FVLCIVS

Petaso nigro, peramplo margine
Adspectum ut plane occuleret.

NAEVOLVS

Ipsus certe erat.

FVLCIVS

Tribus aut quatuor passuum millibus nos praetergressi, illud sumus
Suspicati.

NAEVOLVS

Mirabar : adeo pronum fuit
Suspicari.

FVLCIVS

Equos convertimus, regredimur,

Et quoniam peregrinum illum forte ego unus observaveram
De militari deflectentem, ut primum nos adspexit, via....

NAEVOLVS

Caute, nam credo vos cognorat.

FVLCIVS

Iter illac recta intendimus.

NAEVOLVS

Audio: assecuti estis.

FVLCIVS

Rem dicam, cui tute vix habeas fidem:
Equi repente consternati concidunt;
Auriga instigat, clamat, urget verbere;
Nec hilum proficit: iurares illos factos saxeos.

NAEVOLVS

Portentum narras.

FVLCIVS

Mane, nondum audisti omnia: nos silentio
Intuemur attoniti inter nos; mentes prostraverat pavor.
At Paullum praesertim, exterritum et cera pallidiorem nova,
Vel unum censes potuisse verbum hiscere? Tum ego et Bilinskius,
Statim ac animus ad se rursus rediit, prodigio isto satis
Admoniti....

NAEVOLVS

Papae! vobis ipsis timuistis.

FVLCIVS

Sententias
Conferimus; extemplo reverti in urbem placet.

NAEVOLVS

Anne aliud potuit quidquam?

FVLCIVS

Vix auriga habenas verterat,
Cum equi viam corripiunt cursu . . .

NAEVOLVS

Alacri fortasse ?

FVLCIVS

Ita concito
Vt non volare ventos magis existumem.

NAEVOLVS

Quid Paullus?

FVLCIVS

Fratrem defendi caelestibus
Prodigiis intelligit, seseque incusat.

NAEVOLVS

Iam serus sapit.

FVLCIVS

Verum ais : nunc id accura, quo veniens herus indigeat.

NAEVOLVS

Hoc agam.

FVLCIVS

Mira profecto haec sunt, et magnum aliquid in his latere censeo,
Quod exitus ostendet demum.

SCENA III

PAVLLVS, FVLCIVS

PAVLLVS

Fulci.

FVLCIVS

Quis est?

O here, satin' salve?

PAVLLVS

Cur rogitas, cum obiiciatur mihi mali
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid agam certum siet.

FVLCIVS

Verum enimvero, ut te conficias cura, promovebis nihil.

PAVLLVS

Intelligo: at consistere nihil consilî quidquam potest;
Moerore differor, vacillat mihi mens aegritudine:
An non sum ego miser?

FVLCIVS

Nolo te hac nimia tristitia maceres.

PAVLLVS

Quamcumque in partem converto animum, obversantur statim mihi
Acerba omnia et iniucunda, nec ullus est solatio locus.

FVLCIVS

Hem vide ut tantula res te deiiciat. Anne istud tandem decet
Praeditum ingenio tali, tam firmo?

PAVLLVS

Graves tumidique spiritus
Cessere nescio quo.

FVLCIVS

Vultum quaeso paullisper erige:
En hic tibi Bilinskius adest.

SCENA IV

BILINSKIVS, FVLCIVS, PAVLLVS

BILINSKIVS

Paulle, si licet, dolere iam videris nimium muliebriter:
Curam istam minue.

FVLCIVS

Hoc et dudum ego suadeo, et ludo vanus operam.

BILINSKIVS

Ehodum, ecquid nunc tecum tute cogitas
Sic capite obstipo?

PAVLLVS

Non potis sum proloqui omnia.

BILINSKIVS

Saltem dic aliquid, namque ego et hic Fulcius
Prodesse fortasse possumus.

PAVLLVS

Videtis ipsi quem in locum
Redactus infelix siem: isthac ratione a me discedere
Non esse veritum fratrem? Huius rei cum dissipabitur
Rumor, quantam mihi putatis orituram inde contumeliam
Et toti familiae labem?

BILINSKIVS

Populus id curat scilicet.

FVLCIVS

Aut quasi tu peccâris.

PAVLLVS

Immo hoc mihi succenseo
Maxume, quod culpa isthaec evenisse opinor certe mea.
Heu! nimis vehemens fui, nec monitis unquam vestris parui,
Qui mitiores sensus pectori ingerebatis meo.
Nunc plector.

BILINSKIVS

Stultum est conqueri, quod corrigere iam non queas.

FVLCIVS

Ego quoque sic sentio.

PAVLLVS

Quid dicam, aut quomodo sperem patri
Purgare memet?

BILINSKIVS

In utramvis aurem potes conquiescere,
Si totum hoc negotî tu prorsus relinquas mihi.

FVLCIVS

Sic faciundum est.

BILINSKIVS

Noxiam in illum alium transferam.

FVLCIVS

Perfacile est sane huic.

BILINSKIVS

Quin, Fulci, vel cuivis facillimum,
Tot quando concurrunt caussae; sed quos tristities afficit,
Ii tristia omnia, quae futura sunt, sibi solent fingere.

FVLCIVS

Recte dictum.

PAVLLVS

Vel id quoque ignorare me,

Qua caussa frater, quo consilio, qua spe, vel quo denique
Hoc iter incoeptavit.

BILINSKIVS

Miror te adeo istis perturbarier
Perinde quasi . . . .

SCENA V

NAEVOLVS, BILINSKIVS, FVLCIVS, PAVLLVS

NAEVOLVS

Heus, heus, sinite Naevolum statim ad vos ingredi.

BILINSKIVS

Ecquid demum affers novi?

NAEVOLVS

Credo quod permagni vestra interest.

FVLCIVS

Agedum, quid habes?

NAEVOLVS

Stanislai litteras.

PAVLLVS

Verum? Quis reddidit?

NAEVOLVS

Nemo: in eius conclavi interiore positas forte reperi.

FVLCIVS

Vix fidem habeo.

BILINSKIVS

Produce.

PAVLLVS

Vbi sunt?

NAEVOLVS

Eccas; ipsus quaeso inspice,

Nosce signum: estne eius?

PAVLLVS

Est certe.

FVLCIVS

Factum.

PAVLLVS

Accipe,

Bilinski, resigna, perlege, namque ego metu
Nescio quo totus horreo.

NAEVOLVS

(Hui! ipsi tremit
Etiam manus! ut in facie totus palluit!)

FVLCIVS

Nunc res patebit.

BILINSKIVS

Animum advorte huc.

PAVLLVS

Istoc, si possim, ago.

BILINSKIVS

« Nolo, frater, hoc tute tecum existumes....

FVLCIVS

Expecta paullisper.

BILINSKIVS

Quid rei est?

FVLCIVS

An non prius

Salutem scripsit?

BILINSKIVS

Verum: legere omiseram.
« Stanislaus Paullo salutem suavissimo fratri suo. »

PAVLLVS

Estne istuc istic scriptum?

BILINSKIVS

Hēm specta, tum scies.

FVLCIVS

Iam inde a principio plena officii epistola est.

BILINSKIVS

« Nolo, frater, hoc tute tecum existumes, »
« Meme odio tui aut aliquo fortasse taedio »
« Id consilî cepisse, ut abs te discederem. »

PAVLLVS

Respirare incipio iam nunc.

FVLCIVS

Debes merito.

BILINSKIVS

« Quin testor superos me discedentem nihil »
« Adeo anxium habuisse, quam quod tibi et patri »
« Doloris magni caussam hoc discessu darem. »

FVLCIVS

Quam blande in sinum descendit haec oratio.

BILINSKIVS

« Verum id perficere studeo, quod nimis diu »
« Laevus distuli, res ut mortales abdicem, »
« Loiolidum et in aliquam tandem excipiar domum. »

PAVLLVS

O frater!

BILINSKIVS

At at, hoc est; in mentem venerat
Paene suspicari.

FVLCIVS

Propemodum etiam istuc mihi.

NAEVOLVS

(Rei cognitae hariolos rideo.)

PAVLLVS

Perge obsecro:

BILINSKIVS

« Hoc te patremque ut celarem effecit timor, »
« Ne vester amor votis forte obstaret meis; »
« Et quod restabat unum clam cepi fugam. »
« Nunc primum etiam atque etiam te rogo, frater optime, »
« Vt omnem exsuas ex animo sollicitudinem: »
« Deinde per ego te, perque amorem obtestor tuum, »
« Vt quidquid hac in re utcumque peccasse videar, »
« Item ut in ceteris, bonus ignoscas mihi. »

PAVLLVS

Ignotis mihi miscetur pectus motibus.

BILINSKIVS

« Quod si me unquam crederem de te meritum bene, »
« Rogarem, deprecator ut esses apud patrem, »
« Aut mitigares vulnus, quod invitus afferam. »
« Tua benefacta mihi nunquam e memoria excident, »
« Et dum vitam hanc colam, frater suavissime, »
« Quantas potero maximas, habebo gratias. »

PAVLLVS

Non teneo lacrimas.

FVLCIVS

Non teneret vel lapis.

BILINSKIVS

« Te Deus, meumque patrem sospitet. Vale. »
« Illis queis sentio me debere plurimum »
« Et fateor, Bilinskio, Fulcio atque Naevolo, »
« Salutem impertias multam meis verbis velim. »

NAEVOLVS

Men'quoque nominat? Meliorem ah! nusquam inveniam herum.

FVLCIVS

Nescio quid ego dicam.

BILINSKIVS

Mihi quoque mens stupet.

PAVLLVS

Quid hoc negotî est? Omnino me sentio
Alium repente esse ab eo, qui fueram prius.
Incendit pectus penitus dolor, amor, pudor;
Nec satis una in re possum conquiescere.
O frater, frater! si te amassem, ut debui,
Num tu adeo amare memet potuisses magis?
Ast ego improbus odi mores verecundos tuos,
Ingratus, asper, maleficus, iniurius tibi.
Et potui? nec saltem puduit? nunc tamen pudet
Ac dolet, frater. I felix, quo te caelites
Ducunt prodigiis, et auspices monstrant viam.

BILINSKIVS

Nos etiam idem istuc adprecari possumus.

FVLCIVS

Immo et debemus.

NAEVOLVS

Vos valete, et plaudite.

SANCTO STANISLAO VICTORI
SERTVM

I

Sanguine venalem duro in certamine laurum
Per caedes et per vulnera miles habet.
Facturus Christi praeclara stipendia, laurum
Illustri quaeris tu tibi, Kostka, fuga.

II

Quod sese rapidis fugientem intercipit undis,
Kostka audet sicco flumen adire pede.
Qui saecli illecebras, qui fratris vicerat iras,
Saevo idem indomitas gurgite vincit aquas.

III

Quod Kostkam curru fugientem frater adurget,
Concidere et fracto robore sentit equos:
Quid volui infelix? exclamat: bis ego victus,
Bis victor memori nunc abit ille fuga.

IV

Kostka peregrinus parva dum supplicat aede,
Accipit aligeri caelica dona manu.
Nempe viatorem hoc firmant epulo, et bene ditant
Victorem tali munere caelicolae.

V

Vestris, Loiolides, tiro se dedicat armis
Kostka, et dat sanctae nomina militiae.
Ille sua claros retulit virtute triumphos:
Quid faciet vestris miles in agminibus?

PARS TERTIA

CARMINA ITALICA

TERZE RIME

I

IL SANTUARIO DI MARIA SS.
DETTA DELLA SANITÀ PRESSO SAVIGLIANO

Dove la Macra alpina in cheta sponda [1]
    Per fertil piano all'Eridan s'invìa,
    Ed amene città bagna coll'onda,
Romito io trassi, e sol meco venia
    Compagno un pensier funebre che tutto
    Della mia mente il freno a se rapia.
E in poco d' ora mi vid'io condutto
    Là've fra l'ombra di tacente bosco
    Venerabile un tempio era costrutto.
M' appresso, e sacro a Lei lo riconosco
    Che il vicino cultor supplice implora
    Contro il diro de' morbi orrido tosco.
Poich'io v'ebbi adorato alquanto, fuora
    Mi tornai nell' aperto, e a un' elce appresso
    Alle membra donai queta dimora.

[1] Poco lungi da Savigliano (piccola ma bella città nella divisione di Cuneo, posta tra la Macra o Maira e la Grana) è la chiesa dedicata a Maria SS. sotto il titolo di S. Maria delle grazie, detta anche *della Sanità*, per le frequenti guarigioni miracolose ottenute dal popolo, che con molta pietà concorre a quel santuario.

E o fusse visione, o che commesso
Fusse lo spirto a fantasia possente,
Sentii rapito me fuor di me stesso.
Su penne infaticabili repente
Io giunsi là, dove la nebbia e il gelo
Imperversa fra i velli all'orsa algente.
D' atra tempesta minaccioso il cielo
A me pareva, e torbida bufera
Addensar nembi e fare agli astri un velo.
Poscia una nube procellosa e nera,
Cui vorticoso vento iva spingendo,
Vid' io venir dai liti della sera.
Un lampeggiar non interrotto, orrendo
Un muggito mettea, che di sciagura
E di morte recò nunzio tremendo.
Ahi qual terrore, ahi quale uscia paura
Dal gonfiato suo grembo, ahi qual mi strinse
Brivido il cor, ch' entro mi serpe e dura!
Quando la nube in un balen si scinse,
